274.5113
B889d

B. 24

BUILDING USE ONLY

LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS

FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

LEARNING AND LABOR

Rare Book & Special
Collections Lib

274.5113
B889d

BUILDING USE ONLY

D E

CASALENSIS ECCLESIAE

ORIGINE, ATQUE PROGRESSU;

Tum de Epiſcopis ejuſdem ab Anno Salutis MCDLXXIV. uſque ad Annum MDCCXXXII.

HISTORICA NARRATIO

IN SEX, ET VIGINTI DISSERTATIONES

Diſtributa;

Opportunis Digreſſionibus additis,

Quae

CASALENSI URBI

Splendorem, decuſque augere valeant.

HIERONYMO DE BONO

Cive Bononienſi Auctore, in Gymnaſio Caſalenſi olim Rhetore; nunc in Regio Taurinenſi Lyceo Humanarum Litterarum Profeſſore.

AUGUSTAE TAURINORUM:

Apud Rochum Fantinum. MDCCXXXIV.

KF 5119 B63d

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO

PRAESULI
PETRO HIERONYMO CARAUADOSSO

Nicienſi, Epiſcopo Caſalenſi, & Comiti

Hieronymus de Bono

FELICITATEM.

QUo primum tempore (ampliſſime Antiſtes) tua in me ſingularis Benignitas, egregiaque Humanitas manifeſtata eſt, eo me grati animi, qualiacumque eſſent argumenta, praeſtare conſtitui. De Caſalenſis Eccleſiae priſco, & praeſenti ſtatu, itemque de Epiſcopis ejuſdem, veluti hiſtoricam Epitomen praeſertim meditatus, breves quaſdam Diſſertationes, non inconſulto exaratas, Tibi humiliter nuncupare peropto. An aequi, bonique feceris hanc meam in Te voluntatem cum obſervantia conjunctam, ambigere nolo. Scio enim, quo es in me propenſus animo, quantum inde proclivis ad hominum mentes eximia quadam Beneficentia excitandas, ac permovendas. Hoc igitur meum elaboratum, qualecumque ſit Opus, Superis bene adjuvantibus, & quoad ejus

fieri

717395

fieri potuit, cumulate abſolutum, Tibi uni, digniſſime Praeſul, ſubmiſſe dico, humiliterque ſubijcio: pondus utique meis humeris impar, neque ab extero fortaſſe homine ſuſcipiendum, niſi quod exempla ſuppeterent, quae de aliis quidem Auctoribus externa ſcribentibus haberi poſſunt, & quae tum prophana, tum eccleſiaſtica monumenta continent; quorum ſingula referre hic loci incongruum eſſet. Horum itaque non ſpernenda ſane auctoritate fretus, de Caſalenſi Eccleſia, & ego Bononienſis, ab elementis uſque Catholicae Fidei, ac Religionis ad praeſentem diem perbrevem Hiſtoriam deſcripſi; indeque per compendioſas Diſſertationes in ordinem digeſtas, Epiſcoporum Caſalenſium acta repraeſentavi, ſparſim habitis quoque Digreſſionibus, quae inſignem Caſalis urbem clariorem item in dies oſtenderent, & hiſtoricam lectionem hanc amoeniorem reddere valerent. Ad noſtri Operis calcem, Te ipſum comperies, Illuſtriſſime Praeſul, cujus inclitas recenſere dotes, ac vere meritas concelebrare laudes, politioris utique ſtyli, quam meae fere ineptae ſcriptionis, & inconcinnae Narrationis proprium eſſet. Patiare tamen (utcumque tua expoſita ſint ornamenta) Te a me non quantum mereris, ſed quantum ego pro viribus potui, ex animo commendari. Vale ac ſalve, Antiſtitum ſplendor, & decus: Teque Deus Optimus Maximus commiſſo tuo amantiſſimo Gregi ſollertiſſimum, ac vigilantiſſimum Paſtorem ſemper incolumem ſervet.

DE

DE
MONTISFERRATI PROVINCIA,
ET
CASALENSIS URBIS
Tam antiqua, quam praeſenti conditione.
Prima, ac Prodemialis Diſſertatio.

MOnsferratus, florentiſſima Italiae regio, inter Liguriam, Inſubriam, ac Pedemontium continetur: de qua Provincia non ignobiles quidem Scriptores, Flavius Blondus Forolivienſis, Raphàël Volaterranus, Leander Alberti Bononienſis, Antonius Poſſevinus junior, & Scipio Agnellus Mantuani; Petrus Joannes Capriata, ac Emmanuel Teſaurus Pedemontani; Benvenutus Sangeorgius, & Fùlgentius Alghiſius Monferratenſes; Cluverius Germanus, la Croix Gallus, & alii digna, debitaque laudis ornamenta repoſuerunt. Hanc aluunt Lombardiae amoeniorem partem flumina, Sturia, ac Duria ad Pedemontij fines; tum Burmida, Tanarus, fluviorumque Rex Eridanus, qui Padi nomine vocitatur. Urbes conſpicuae, Caſale Sancti Evaſii, Aquae Statelliorum, Alba Pompeja, Nicia Palearum, Moncalvus, ac Tridinum, multaque nobilia Oppida, atque praemunita Caſtella. Pla-

nities

nities ubertima e boreali, & orientali plaga: ad meridiem non praerupti, ſed facile declives, ac fertiliſſimi colles apparent, frondibus, omniumque ſegetum copia undique laeti. Quapropter Montisferrati ethymon a Terrae potius feracitate (quidquid recentiores Hiſtorici divinare conentur, quum apud antiquiores, Dionem, Strabonem, Livium, Tacitum, Plinium, & Pomponium Melam nulla iſtius nominis facta ſit mentio) ſollertiſſimus Leander Alberti, Guzmanae familiae alumnus, derivatum hiſce verbis oſtendit. *Nominis hujus originem, & cauſſam apud Claſſicum Auctorem invenire omnino potui neminem. Tractum hunc Montemferratum exiſtimo a modicorum, quos habet collium fertilitate; qui mirabili copia fructus omnigenos ad humanae vitae neceſſitatem fundunt; initio quippe hinc Montem feracem appellatum puto, ejus nominis leviſſima plane mutatione facta.* Elegantiſſime a Georgio Merula ita etiam deſcribitur. *Mons eſt perpetuis expanſus jugis, totus amoenus, & fructifer, omniumque rerum ad vitam utilium fertilis, & colonis admodum frequens. Nihil hic incultum quidquam propter ſummam ſoli bonitatem, opportunitatemque. Laevam Tanarus, dextram Padus alluit: quanto magis autem ab amnibus abſcedunt colles, tanto majores, amoenioreſque campi inter eos panduntur, quos haud male Meſopotamiam queas dicere; quippe qui amnibus utrinque ſint concluſi.* Haec autem Provincia nunc temporis dividitur in tres partes, quarum prima intra flumina Padum, ac Tanarum: altera praeter Tanarum: tertia ultra Padum ad

Du-

Duriam protenditur. Antiquior item deſcriptio a Blondo ſic relata eſt: *Ad Tanarum amnem ora incipit celebris, nunc Monsferratus appellata, cujus fines ſunt; hinc Padus, inde Apenninus, & Tanarus ipſe a fonte ſuo ad oſtia, quibus fertur in Padum, & ſuperiore in parte, montes Moncalerio proximi, ubi Pedemontium incipit.* Amoeniſſimae regionis caput Caſale Sancti Evaſii firmatur, cujus vallum, externaque munimenta ab occidente fluens Padus partim lambit, ac irrigat: partim vero ſpecioſiſſimum a ſeptemtrionali, ac orientali parte proſpectum exhibet. Urbs quidem nobilium Civium ſplendore, ac virtute illuſtris: templorum, turrium, aedificiorumque conſtructione magnifica: tum pace, belloque clara; ubi jam Senatus fuit; nunc Civitatis Praeſes, Arcis Praefectus, Militumque praeſidium reſident. Quod autem ad municipale jus attinet, Conſules duo, *Civitatis Sindici* vocati, quotannis eliguntur: alter e Nobilium coetu: alter e Civium ordine aſſumptus. Eruditiſſimus Ferdinandus Ughellus Abbas Benedictinus, Caſalenſem Urbem Pipini Gallorum Regis temporibus extructam putat, dum ſcribit: *Caſale inter cetera Luitprandus Longobardorum Rex aedificavit circa Annum DCC XXX.* Tum Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia Salutienſis Epiſcopus id ipſum ita ſentit. *Recognovit Caſale Sancti Evaſii, quod ſuper Padi ripam prope antiquam, ac dirutam Sedulam eſt, pro Auctore Luitprandum Longobardorum Regem.* At *Induſtria* primum, *Sedula* deinde hoc oppidum ante Luitprandi tempora nuncupatum

vigebat

vigebat: locus ob excurrentis fluminis vicinitatem; & pulcherrimum collium a meridie proſpectum, aëriſque ſalubritatem jucundiſſimus. Quamquam igitur priſci Scriptores recenſeri non poſſint, qui de hac re quaeſtionem dirimere valeant, nec de Urbe, prout Caſale dicta eſt, verba faciant; nihilominus de antiquiſſimo oppido *Induſtria*, ac *Sedula*, quod vetuſtiſſimi Ligures *Bodincomagum* nuncuparunt, a Plinio in Padi deſcriptione ſermo habetur. Idem comprobat Merula, Blondum reprehendens, qui hoc *Bodincomagum* eſſe *Bondenum* ſcripſerit. Fallitur enim Blondus; nam Plinius ſenior Hiſtoricus in Cisapenina Liguria *Bodincomagum* deſignavit, non autem in Boiis, ubi Bondenum juxta Padum firmatur, & quod nunc Mutinenſi Duci ſubjectum eſt. Argumento ad hanc rem eſſe poteſt quoddam pervetus marmor, in Odalengo Montisfertati pago ad flumen Padum repertum, & in Aede Sancti Michaëlis Arcangeli pro ſacro Arae lapide repoſitum. Hujuſmodi enim legitur Inſcriptio.

T. Lollius. T. Lollii. Maſculus. IV.
Vir. Bodincomagenſis.
Hic. propter. viam. poſitus.
Vt. dicant. praetereuntes.
Lolli. Ave.

Recentiores inde Scriptores ab Eridano Liguris filio derivatam hujus Oppidi originem putant, & *Bodincomagum*, ut ſupra diximus, a profundo fluminis alveo liguſtica lingua appellatum conjectant. Ceterum apud

pro-

probatiſſimos Hiſtoricos ſatis, ſuperque conſtat, tum Eridanum (quem etiam *Phaetontem* vocant), tum Herculem Lybicum, eorumque nepotes, ciſpadanas has, ac transpadanas antiquitus tenuiſſe regiones, & juxta Padi fluminis ripas ob multam rerum commoditatem, plura utique conſtruxiſſe Caſtella; ac proinde hanc primo *Induſtriam*, hinc *Sedulam*, ſparſis huc, & illuc hominum domicilijs, excitatam eſſe nemo infitiabitur. *Sedulae* porro nomen retinuiſſe uſque ad Annum circiter DCCCCL*XX*., & exinde Caſale nuncupari, Fulgentius Alghiſius non male arbitratur. Comperit enim ille, Ingonem Vercellenſem Epiſcopum *XX*III. Caſalenſi Eccleſiae praedium elargiri, & hanc Urbem Caſale tunc nominari; uti ex ſcripta Donatione ſatis apparet. Haec etiam Caſalis nuncupatio in quadam Othonis III. Imperatoris conceſſione bonorum Arduini, filij Dodonis Eporediae Marchionis ſub Anno DCCCCL*XXXXIX*. Vercellenſi Eccleſiae impertita legitur. Ipſa Diplomatis verba (quod hanc partem ſpectat) ab Vghello etiam, & Aurelio Cuſano relata reponere juvat: *Item praedia Arduini filii* Dodonis *dedimus, adjudicavimus, quia hoſtis publicus adjudicatus Epiſcopum Petrum Vercellenſem interfecit, & interfectum incendere non expavit. Et praedia eorum, qui exploratu, armis, & ipſis manibus huic crudelitati interfuerunt, ideſt filiorum Deperti de Caſali, Gorini, & Arimini de Liburno, Alberti, & Gribaldi de Mediolano*. Poſt Ligures Enachii, gigantum genus, hanc Italiae partem invaſerant, hinc

Aegyptii

Aegyptii, & Lebetii: iterum Ligures, mox Tuſci, quorum Coloniae deductae, tum Galli, tandemque Romani, Paulo Aemilio duce, Terram poſſederunt. Deficiente autem Romanorum imperio, ſub Auguſtulo Oreſtis patritii filio, ad Annum CCCCLXX. Genſerico cum Vandalis, & Odoacre cum Turlingis, & Herulis Italiam ingredientibus, ac devaſtantibus, *Sedula*, & alia Montiſſerrati oppida ſub Gothorum quoque & Vandalorum Regum tyrannide: his autem bello devictis, atque fugatis ſub Germaniae praeſertim Imperatorum dominio Montiſſerrati provincia conſtitit uſque ad Othonem II. Auguſtum, qui hanc Regionem ſub Anno DCCCCXXXVI. in Marchionatum redegit: hinc Aleramo Ducis Saxoniae filio, atque Alteſiae ejuſdem uxori Provinciae ditionem dono dedit; qui Conjuges a parentibus aufugientes, & ad amoeniſſimam hanc, lectiſſimamque oram appellentes, hic loci pergratam moram traxerunt. De hac Othonis. Caeſaris Donatione extat Diploma, quod refert Alghiſius, ex Benvenuti Sangeorgii Annalibus Montiſſerrati deſumptum. Quum enim Otho in Italicis provinciis degeret, inſtante Imperatrice uxore, quos in Monteferrato pagos, & quae oppida Aleramus habebat, Imperiali facultate, rata, ſibique firma retinuit, ac tuta poſſedit. Fato deinde ſublatis Alerami nepotibus, ac joanne Saxonum poſtremo ſub Anno MCCCVI. defuncto; Andronicus Paleologus Orientis Imperator Conſtantinopolitanus, jure quidem haereditario, Theo-

do-

dorum filium ſecundogenitum, ei quem parturit Jolanta conjux, Bonifacii Saxonis filia, & Joannis ſoror (Montisferrati populis id etiam expetentibus, ac repoſcentibus) ad ſupremum hujuſce Italicae regionis dominium illico miſit. Inclyta vero ſtirps illa Paleologa uſque ad Annum MDXXXIII. in totam Montisferrati provinciam fere dominata eſt, qua extincta, Federicus Gonzaga, primus Mantuae Dux, ejuſdem regimen adipiſcitur. At vero Ferdinando Carolo, ultimo Mantuanae urbis Duce morte perempto, Caſale Sancti Evaſii, ac univerſa Montiſferrati ditio ad Sabaudos Duces jure optimo, & aequiſſimo delata eſt: hinc ſumma quies, & perennis pax; hinc exoptata tranquillitas; hinc bella, & jurgia ex animis, corporibuſque prorſus deleta. Inviċtiſſimus enim Victorius Amedeus, Cypri, Hieruſalem, & Sardiniae Rex ſemper Auguſtus feliciſſime regnat. Ceterum Caſalenſes Cives, armis, litteriſque clari, tum in Deum, Catholicam Religionem, ac Patriam pietate inſignes extiterunt. Caſale autem Urbs quondam munitiſſima, & Arce firmiſſima, Bellorum theatrum dicebatur, de qua oppugnanda, ac propugnanda Germani, Galli, Hiſpani, Angli, Sabaudi, Inſubres, Ligureſque ſaepiſſime decertarunt: olim ad Reipublicae formam libera, neque ipſis Occidentis orae Imperatoribus ſubjecta, quemadmodum ex Friderici I. Aenobarbae Diplomate ſatis conſtat. Quinimmo Fridericus II., quum Caſalenſes Cives ſibi quoque, & Caeſarianis partibus addictos probe cogno-

ſceret; Anno MCLXXXVI. eoſdem ampliſſimis Privilegiis donavit. Quare incongruum Veritati videtur, quod graviſſimus licet Auctor Ludovicus ab Eccleſia ſcriptum reliquerit, nimirum Caſale Vercellenſium temporali juriſdictioni temporibus illis addictum eſſe. Nam luculenter conſtat, Vercellenſes tunc inito cum Alexandrinis, atque Aſtenſibus foedere adverſus *Sedulenſes*, Friderico II. Imperante, in Caſalenſem agrum non ſemel hoſtili vaſtatione irrupiſſe. Quid enim hac tanta foederis & bellorum mole in ſubditos populos opus erat? Huc accedit Aurelii Cuſani, Vercellenſis Eccleſiae Canonici, aſſertio. Enimvero ſub Anno MCCVI. ita ſcribit: *Eodem tempore Alitprandus* (Epiſcopus Vercellarum) *de Caſalenſium actis acriter conqueſtus eſt, qui ejus perturbare juriſdictionem haud ceſſabant: qua de re cum Mediolanenſibus Vercellenſes conjuncti, in Caſalenſes irruperunt. Quinimmo ut Caſalenſium vi propugnaculum quoddam objicerent, ex quo ſuum etiam tuerentur deinceps dominium, Creſcentini oppidum fabricarunt*. Interea praelaudati Friderici II. privilegia Caſalenſibus impertita, ab Henrico VII. confirmantur, cujus Diplomatis tenor eſt hujuſmodi: *Henricus Romanorum Rex ſemper Auguſtus, univerſis Sacri Romani Imperii fidelibus praeſentes litteras inſpecturis Gratia, & omne Bonum. Conſtituti in noſtrae Majeſtatis praeſentia, prudentes viri Homines de Caſali Sancti Evaſii, noſtri fideles dilecti, nobis humiliter ſupplicarunt, quatenus Privilegium iſtud confirmare de Benignitate Regia dignaremur, quorum ſequitur tenor in haec verba* &c. *Datum Mediolani*

ni

ni, Non. januar. Anno Dom. MCCCXI. Regni vero ejus III. Quamvis autem Alerami Saxonis nepotes Montisferrati Marchiones dicerentur; ex hoc tamen ipſo non deducitur omnino, Sedulam, vel Sancti Evaſii Caſale (quod ut plurimum ſui juris fuit) immediato, eorumque ſupremo ſtetiſſe dominio. Quamobrem Montisferrati Marchionum, & Caſalenſium Acta ab Hiſtoricis diverſimode recenſentur; Siquidem Aurelius Cuſanus ſcribit; *Vercellenſem Epiſcopum Alitprandum antedictum ſuae Eccleſiae, ac ditionis jura defendiſſe, Caſtrum Sancti Georgii a Guilielmo Montisferrati Marchione occupatum redemiſſe*, nulla facta de Caſalenſibus mentione. Sic paullo infra Caſalenſium in Vercellenſes acta refert, nulla inſuper facta Marchionis Montisferrati recordatione. Itaque ſub Anno DCCCCLXXXIV. regnante Othone III. Occidentis Imperatore, Caſalenſes jugum a Germanis ſibi illatum dejeciſſe comperimus; iccirco ad inſtar Reipublicae municipale, & civicum gubernium inſtituerunt, plurium Italicarum Urbium exempla ſecuti, quae jam contemptam, ac ferme deperditam Othonis abſentis auctoritatem minimi aeſtimantes, jugum ſolverant. Conſtat ergo ſuiſmet legibus Caſalenſes jus dixiſſe, & recepiſſe, alioquin ſe Joanni Nicolao Saxoni olim non dediſſent, ſi eidem ſubditi fuiſſent. Orta enim inter Cives pernicioſa contentio in eauſſa fuit, cur ad hunc Principem confugerent. Quapropter Anno MCCCIII. facta eſt Tabularum publicarum ſtipulatio ab Oddone Bargonio Parmenſi,

Sacri

Sacri Palatii Notario, conſentiente eodem Joanne Marchione, tunc Caſalenſis Urbis Vicario, itemque Philippo Graſſo, Henrico Torta, Ruffino Muſſo, Ugone Carillio, & Conrado Bazano Patritiis Caſalenſibus, qui Communitatis nomine interfuerunt. Item Anno, MCCCLXVII. ſe dedunt Galeatio Vicecomiti, multa ſibi utilia petunt, & ampla conſequuntur, ut in Chronicis Benvenutus Sangeorgius refert. Anno quoque MCCLXXVIII. Populus Communitatis Caſalenſis ſocietatem, ac foedus inivit cum Communitate Papienſi. Habebat autem Communitas temporibus illis civicum Praetorem, quem *Poteſtatem* appellabant, ut Urbem, locaque adjacentia legibus coerceret; quemadmodum ſane de liberis Civitatibus, & in Italia Rebuspublicis idipſum compertum habemus. Omne autem Caſalenſium regimen in generale populi Concilium, & in Communitatis peculiarem coetum dividebatur. Hinc eodem Anno MCCLXXVIII. in ejuſdem Communitatis Capitaneum per quinque annos Marchionem Montisferrati Guilielmum Caſalenſes elegerunt. Tabularum ſtipulatarum paragraphum a Benvenuto adnotatum ſubdere liceat. *Item quod Commune Caſalis, quandocumque fuerit requiſitum per Dominum Marchionem, teneatur ei dare exercitum, ſecundum quod Concilium, & Homines Communis Caſalis pro tempore venerint in concordiam, quandocumque eidem Domino Marchioni fuerit neceſſe, & fuerint requiſiti.* Ad quos autem ſpectat ſocietates, ac foedera inire, Capitaneum, hoc eſt ſupremum

Belli

Belli Praefectum inſtituere, accerſere ad ſe, exercitumque ſibi parare, niſi ad Principes, vel ad ingenuos potentes populos, ac ſummae libertati addictos? Praeterea opibus praeſtantes, & armis validiores Caſalenſes Cives in diem reddebantur, adeout oborta ſaepe diverſa partium factione, in ſe ipſos non tantum arma diſtringerent, ſed necesse quoque eſſet, ut intermedii graviſſimi Principes, ac Duces intercederent, qui Civium ſimultates, ac inteſtina odia compeſcerent, animoſque furore percitos conciliarent. Quapropter Anno MCCCXIX. partes Canum, ac Tortarum; partes vero adverſae Graſſorum, & Bazanorum a Theodoro Paleologo compoſitae ſunt. Itaque non tam bene ſenſiſſe, alias eruditiſſimus Ughellus videtur, quum ſcripſerit: *Caſalis Civitas, Sancti Evaſii dicta, ſi politicam Conſtitutionem intuearis, haud multa ſaecula numerat, ſicut ejus, tamquam recentiorem originem, contemptim Scriptores praeteriiſſe videantur.* Nam, quod ipſam politicam rationem ſpectat, antiquum certe jurisdictionis ſtatum Caſale recognovit, quamquam ex ea, qua nunc temporis ſublimitate conſpicitur, recentes fere Auctores, alia velut nova demonſtrent. Ceterum, & Leander Alberti Dominicani Ordinis alumnus, qui Anno MDXXX. Bononiae in vivis degebat, in celeberrima ſua Italiae deſcriptione, Caſalenſem Urbem meritis laudibus, ut pote quae ante ſua tempora jamdudum inſignis eſſet, ita exornat: *Civitas eſt Caſale perhoneſta, multiſque nobilibus, & magnificis familiis ſplendida*: Prae-

terea,

terea, ut alios ſileam Scriptores, Ughellus ipſe haec tradit: *Civitatem hanc nobilia exornant aedificia, gravisque Populus, tum nobilitate, tum opibus celebratur*. Quod ſi Civium Nobilitas, ac in primis magnificarum Familiarum ſplendor decoras utique, atque praeclaras efficit Urbes, profecto non recens opus haec Civitas Caſalenſis cognoſcetur. Non infitior tamen, Caſale inſigne olim oppidum, illuſtrem poſtmodum Urbem, eas, quas ex Hiſtoriae monumentis alia loca, vel celebriora ſenſerunt, vices pertuliſſe; ſiquidem Barbarorum in Italia degentium coacta imperio ceſſerit; hinc Germanis quandoque Imperatoribus obtemperarit; hinc Saxonibus interdum, hinc Vicecomitibus Mediolanenſibus aliquando morem geſſerit, qui juxta Corii ſententiam Anno MCCXV. Montisferrati dominio potiti ſunt. Et anno MCCCLXX. a Galeatio Vicecomite (ut ſcribit Merula) Caſale obſidione capitur, illique Principi Cives fore fideles jusjurandum emittunt. Porro ad Annum MCDIV. Joannes Maria Mediolani Dux Paleologis Marchionibus hanc Provinciam reſtituit: ideoque in Caſalenſi Urbe Theodorus Montisferrati Marchio conſalutatur. Haec igitur erant, quae de hac uberrima Italiae regione, ejuſque praecipua Caſali Urbe per Epitomen ferme, ut inſtituimus, diſſerere neceſſe fuit, antequam brevis etiam ſermo de orthodoxa Caſalenſium fide, ejuſdem initiis, & progreſſibus haberetur.

DE CHRISTIANAE
Caſalenſium Fidei, & Catholicae Religionis initiis, atque incrementis.
Diſſertatio Secunda.

PIe, ac rite dicendum eſt, a Divo Barnaba, vel ejus Diſcipulis (quum ille Inſubriam, itemque finitimorum locorum Apoſtolus nuncupetur) Caſalenſes, ceteroſque Montisferrati incolas ſanctiſſimam Jeſu Chriſti hauſiſſe Fidem. Nam Ughellus de Vercellenſibus idem ſentiens, haec reponit. *Non valde aberraverit, ſi quis haud abſurda conjectura ductus aſſerat, ab Alumnis Sancti Barnabae Apoſtoli Evangelicam lucem accepiſſe, qui in ea provincia Chriſti Fidem plantavit*. Tum Placidus Picinellus Monachus Benedictinus verba Buringi Vercellarum Epiſcopi ita refert. *Primum Fidei myſteria Dei benignitate jam imbuti eſtis uſque ab initio naſcentis Religionis, quo ſcilicet tempore Sanctus Barnabas Apoſtolus in omni fere Inſubria, & Liguria Evangelium diſſeminavit*. Item de Novarienſibus clariſſimus Praeſul Carolus a Baſilica Petri idem ſentit. *Chriſti Fidem Novarienſibus nunciatam & ab eis ſuſceptam per id tempus non dubito, quo ad Mediolanenſes pervenit. Ex primariis enim Urbibus, & quae Metropoles eſſent, exiſtimare oportet in alias quoque Urbes, & Oppida Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, quum primum fieri potuit, Sacroſanctum Evangelium afferri curaſſe*. Quinimmo tam incongruum pro-

fecto non erit, ſi quis dicat, Montisferrati populos ex ipſo Petri Apoſtolorum Principis ore fidem ſuſcepiſſe, ac Religionem. *Etenim* (referente eruditiſſimo Praeſule Britio) *quum Divus Petrus Roma diſceſſiſſet, ut nobilem Matronam, Caeſariſque conſanguineam, nomine Priſcillam viſeret, quae una cum aliquibus Chriſti fidelibus in Suſarum vallem ſe ſe receperat; ex inveterata Traditione utique habetur, Vercellis, & per hanc Ciſalpinae Liguriae partem Apoſtolum pertranſiiſſe, ſuiſque fervidis concionibus populos in Fide conſtituiſſe*. Anno quoque Salutis LXX. Sanctus Linus Papa Mediolanum ſe contulit, ut Gervaſium, ac Protaſium carceribus detentos conſolaretur; at gentes, quae Idola colebant, quum Linum non tantum Chriſti legem profitentem, ſed Chriſtianorum Anteſignanum cognoſcerent, flagellatum expulerunt: quare per Montisferrati regionem piiſſimus excurrens Pontifex, per aliquod tempus ibi commoratus, catholicis dogmatibus fideles informavit populos, utque Neronianam ſuſtinerent ſtrenue perſecutionem ſuaſit. Inſuper Anno LXXXV. Eccleſiaſtica narrat Hiſtoria, vicinos Ligures ciſpadanos, & collium habitatores cucurriſſe ad audiendas Sancti Caii Sergi Romani, ac Diſcipuli Barnabae Apoſtoli, & Epiſcopi Mediolanenſis primi Conciones. Item Anno XCIII. a Divo Clemente Summo Pontifice miſſus eſt Dioniſius Areopagita ad Pariſinam in Galliis urbem; iccirco per Ligures ſubalpinos pervadens, fideles quoque

Viros

Viros perutili ſermone catholica in fide confirmavit. Praeterea Ticinenſis Epiſcopus Pompejus in tota ſubalpina, & ciſalpina Liguria fidei propagator ab Hiſtoricis recenſetur ad Annum Centeſimum. Ex Ripamundo, Calimerus Mediolanenſis Antiſtes ſub Anno CXXXV. non ſolum Diaeceſim ſuam, ſed & Liguriam omnem in vera Chriſtiana Religione continuit. Sic enim ex Actis Eccleſiae Mediolanenſis elicitur: *Liguriam principio Barnabas, & poſt eum Nazarius, & Celſus obierant; ſed Calimerus univerſam fere Liguriam adjunxit.* Tum Ferrarius in antiquo ſuo Martyrologio. *Totam paene Liguriam praedicatione, & doctrina Calimerus illuſtravit, pluribus ad fidem perductis.* Anno CCXC. Martyres legionis Thebeae in Montisferrati locis excruciantur, & palmam, victoriamque morte conſequuntur: Quiricus in Moriſengo, Candidus in Odalengo; tum ſtrenuus Juvenis, nomine Defendens, de quo meminit Petrus Galeſinus in ſuo Martyrologio, & cujus reliqua (referente Alghiſio) uſque ad Annum MCDLXXVI. in Eccleſia Caſalenſi Sanctae Crucis ſervata ſunt. Hucuſque Caſalenſium fidei initia, firmaque Monferratenſium Chriſtianae Religionis fundamenta, tam Apoſtolorum, & Epiſcoporum, domum Dei zelantium verbis, quam invictorum Martyrum effuſo ſanguine ſolidata recenſuimus; modo remanet, ut quae infernus Hoſtis Daemon, ne uberes fructus ex tanto projecto ſemine colligerentur, Haereſum zizania congerere

gere re conatus eſt, exponamus. Itaque ſub Anno C CCXXIV., quum ſacrilegus Arius ab Alexandrina Eccleſia jure, ac merito ejectus eſſet, multis ſuae impietati con ſociatis, (ad quorum perfidiam auferendam tercentum Epiſcopi in urbe Nicena Bithiniae congregantur) taeterrimam haereſim de Verbo Divino, quod conſubſtantiale Patri negabat, adeo diſſeminavit, ut non tantum orientales plagas deteſtando illo errore invaderet, ſed etiam Italiae oràs contingeret. Quapropter ſub Anno CCCXL. moleſtiſſimo Arianae haereſis morbo Inſubria infecta eſt, ac in primis Vercellenſis Eccleſia. Cui rei deplorandae Sanctus Euſebius natione Sardus, acerrime occurrens, ab impiis Arianis divertere ad caſtrum Creae cogitur. Ibi Oratorium in Virginis, ac Divini Incarnati Verbi Matris Mariae honorem dicavit; & vere propinquos catholicos Induſtrienſes, ceteroſque Montisferrati accolas in orthodoxa fide ſtabilivit. Manifeſto etiam argumento de numquam ab Haereſeos labe contaminata Sedulenſium Chriſtiana Religione id eſſe poſſet. Quum enim ſub tertii ſaeculi fine Diuus Evaſius, primus Aſtae urbis Epiſcopus, Chriſtiani nominis hoſtes, & quidem (ut aliqui volunt Auctores) haereticos ipſos effugeret; prope Sedulam commoratus eſt; quo, veluti ad vere chriſtianum, & Carholicum locum ſe perveniſſe cognovit, atque illius populi pleroſque divino cultui, & Apoſtolicae Religioni, licet occulte, addictos,

tum

tum Idolorum aeque, ac Tyrannorum etiam contemprores probe intellexit. Non igitur Caſalenſes haeretica umquam peſte correpti, nec minus Berengarii, Eccleſiae Andegavenſis Diaconi, errores amplexi ſunt, qui Panis tranſubſtantiationem in Sacramento Altaris negabat: quamobrem ad Annum ML. ſub Leone IX. Summo Pontifice, & Gregorio Vercellarum Epiſcopo, Generale Concilium Vercellis celebratum eſt, in quo Berengarii hæreſis damnata. Praeterea ſub Anno CCCLX. Divus Martinus Epiſcopus Turonenſis, ac Divus Hilarius Antiſtes Pictavienſis, perfidiam Auxelini pſeudoEpiſcopi evitantes, e Galliis proficiſcuntur, ac per Montemferratum tranſeuntes multa Fidei dogmata magis explicata tradunt; hinc certe erga Divum Hilarium a Sedulenſibus antiqua pietas habita, quemadmodum ex Sacra vetuſtiſſima Aede illi nuncupata, manifeſtum apparet. Item Anno CCCLXX. Divus Euſebius praelaudatus, quum ab Aegypti Thebaide in Italiam reverteretur, Mariae Virginis imaginem, quam Evangeliſta Lucas finxit, ad montem Creae tranſtulit; tandemque in Vercellenſi ſede repoſitus, ab Arianis impiis Martyrio afficitur. Quarto ſaeculo exacto, quum barbarae Vandalorum & Hunnorum turmae per italicas oras irruptiones facerent, quinimmo eorum Duces, ac Principes Ariana contagione ut plurimum infecti eſſent, Montisferrati populi pro Catholica Religione, varia, & moleſta quidem ſuſtulerunt; quamobrem Sedulenſes, ne

gentium

gentium efferarum nequitiae, ac impietati, ſacri Divorum Martyrum Evaſii, & Projecti cineres cederent; hos in ſepoſito loco, nec tam obvio occultarunt. Hanc itaque jucundiſſimam Italiae provinciam hyperboreae gentes tenebant; hinc ſub Anno DL. Theodobertus Gothorum Dux, Montemferratum, ac Pedemontium poſſedit; ut Agatia, & Gregorius Turonenſis enarrant. Item anno DLXVIII. primus Longobardorum Rex Alboinus Italiam vaſtat, & occupat. Ne autem a Religionis ſemita egrediamur, quinimmo Catholicae, veraeque Chriſtianae Fidei his in locis incrementa demonſtremus; ſub anno DCX. Divus Columbanus in Monteferrato moram egit, Evangelium populis explanavit, pleroſque in vera fide, ac religione Romana continuit; ut Britius refert. Interim Sedula ad Agilulphi Regis tempora, Principum Longobardorum a deliciis locus eſſe coepit; ex quo Induſtriae antiquo nomine amiſſo, prout Regum amoena ſedes erat, Sedula appellata eſt. Quocirca ſumma pace Sedulenſes perfrui viſi ſunt, quum & ipſi Longobardi Reges, ac proceres catholicam tandem profiterentur Romanam Religionem, Arianiſmi tenebris jam dejectis, ac diſſipatis. Inter hos exteros Principes Luitprandus, in Deum, & Coelites pietate celebris praedicatur; qui cetera inter ad annum DCCXXV. Beati Auguſtini Epiſcopi Hiponenſis, & egregii Eccleſiae Doctoris, Corpus de Sardinia inſula Ticinum in Inſubria transferri voluit.

Quum

Quum autem Sedulae locum, non tantum ob commoda, quae ipſe ſentiebat, quantum ob incolas, quos ſumme diligebat, Luitprandus Rex pro ſua jugi mora ſtabiliret; ut eximiae, ſingulariſque in Divum Martyrem Evaſium venerationis ſuae monumentum quoque inſigne, atque praeclarum relinqueret, ampliſſimum conſtrui Templum fecit, quod nunc inſtauratum, magis extenſum, depictum, & expolitum, quattuor Columnarum ordinibus corinthiis affabre excitatum, conſpicitur, & Beato Evaſio, Caſalenſium Patrono, ibique martyrium paſſo nuncupatum. Hic eſt autem Luitprandus, Aſprandi Filius, Longobardorum Rex XXIX., qui poſt Urbis Romae obſidionem, Gregorio III. ſupremam Petri ſedem tenente, Papiam reverſus, Sedulam inde juxta flumen Padum, ut ſupra innuimus, in amoeniorem otii ſui locum ſelegit. Hinc diruta priore Aedicula, regalique propria Domo proſtrata, perinſigne, quod modo laudavimus Templum, ſingulari eurithmia conſtructum, excitari mandavit. Annuente porro Vercellarum Epiſcopo, Canonicos Veſulanos Regulares introduxit, de quibus ita Pennot: *In Marchionatu Montisferrati Eccleſia Caſalenſis Sancti Evaſii, olim Eccleſiae Vercellenſi ſubjecta, ſed in Epiſcopalem poſtea erecta, ab Inſtitutione fuit Clericorum Regularium*; ubi notandum venit, ex ipſo illuſtri Scriptore, quod Canonici etiam Clerici Regulares dicantur, ut olim mos erat, eoſdem ſic appellari. Eccleſiam inde Praepoſitura Luitprandus

deco-

decoravit, & illi proventus neceſſarios impertiit. Poſtmodum autem, Sedulae nomine jam paullatim obſoleto, haec Urbs Caſale Sancti Evaſii vocari coepit. Extat proinde in Sacrarum ſupellectilium Aula Caſalenſis Baſilicae naturalis, & propria illius beneficentiſſimi Regis, deque Caſalenſibus Civibus optime meriti effigies, cum hac Inſcriptione.

Luitprandi Longobardorum Regis XXIX.
Eccleſiae Fundatoris
Vera Effigies.
Obiit Anno Dom. DCCXLIV.
Die XXVIII. januar.

DE BASILICAE
Sancti Evaſii Erectione, ac in dies aucta Dignitate.
Diſſertatio Tertia.

E Vivis ſublato Gregorio III. Pontifice Maximo, Anno DCCXLI. Zacharias ſucceſſit, cujus precibus Luitprandus Rex Romam obſidione liberavit, tum Papiam regreſſus, ſeſe pietati enixe dedit. Mox vero *Sedulam* cum Regiis Aulicis, atque Adminiſtris emigrans, magnificum, quod ſupra deſcripſimus, Templum conſtruxit. Vertente autem anno MCVI. e Gallia Romam proficiſcens Paſchalis II. Summus Pontifex & in Montemferratum ingreſſus, Divi Martyris Evaſii Templum viſit: tum Canonicorum Regularium porrectis precibus indulgens, eorum Baſilicam ſolemniter de-

dedicavit, ac ſpiritalibus Indulgentiarum Theſauris locupletem fecit, ut ex Pontificio Diplomate; in quo Eccleſiae majori Sancti Evaſii inter alias ſubjiciuntur Aedes Sacrae, Sanctae Mariae de Platea, Sancti Stephani, apud quam Hoſpitale erat, Sanctorumque Petri, & Hilarii. De hac etiam Conſecratione Aurelius Corbellinus Auguſtinianus ſcribit; tum Aurelius Cuſanus refert, Leonem hoc nomine II. Vercellenſem Epiſcopum, una cum Summo Pontifice Paſchali interfuiſſe. Aliis inſuper, ampliſque Privilegiis Calixtus II. Romanus Pontifex, e Galliarum Regno item reverſus, Caſalenſem ditavit Eccleſiam; quare deprecante Canonicorum Praepoſito, ſub anno MCXX. Paſchalis Papae II. hoc nomine conceſſiones per Calixtum Pontificem ratae habentur. Hinc urbanas non tantum Eccleſias, nimirum Sancti Stephani, Sancti Petri, & Sancti Hilarii denuo Evaſianae Baſilicae ſubjecit; verumetiam, & ſuburbanas, videlicet Sancti Germani, Sancti Michaelis Caſtaneti, Sancti Martini in Sancti Georgii Caſtro, Sanctae Mariae, Sanctorum Hilarii, Vitalis, & Petri in Cinagii loco, Divorumque Coſmae, & Damiani in Nodoleſci pago; tum Sancti Michaelis Torcelli, Sanctorumque Clementis, & Nicolai; tum vero alias addixit Eccleſias, atque Paroecias, quae in Bulla exponuntur. Haec inde aſſeverata ſunt a Lucio III., ac Innocentio III. Summis Romanis Pontificibus. At Innocentii III. Papae alia legitur in Regeſtis Epiſtola, Ca-

pitulo Sancti Evaſii ſcripta, ſupra ſubjectionem Pacilionenſis Eccleſiae, de qua Ughellus. Non ſolum autem a Chriſti Vicariis in terris Caſalenſium Eccleſiae, ſed ab Imperatoribus etiam, Friderico I. ſub anno MCLXXXVI., itemque a Friderico II. ſub anno MCCXX. ampliſſima eorum Urbi conceſſa ſunt Privilegia, ad quae impertienda Guilielmus Falzettus Nobilis Caſalenſis eumdem induxit; qui ab ipſo Friderico in paucis diligebatur: iccirco Caſalis Conſul is deligitur. Caſalenſis porro Eccleſia (id enim non inficior) Vercellarum Epiſcopo in ſpiritalibus diu paruit, Veſulanis Canonicis Regularibus cum eorum Praepoſito in regimine adſiſtentibus. De qua ſubjectione, vel priſca extant monumenta. Etenim ſub Anno milleſimo (referente Auguſtino ab Eccleſia) Regenfridus de Montilio Archidiaconus Vercellenſis, & mox Epiſcopus, Caſalenſi Clero praeficitur. Sub Anno MCL. Ugutio Praeſul Vercellenſis (ex Aurelio Cuſano) Caſalenſi Clero decimas impoſuit pro Vercellenſium Canonicorum ſuſtentatione. Item ad Annum MCXXVIII. Regembertus Vercellenſis Antiſtes, Rantiis Vercellarum Nobilibus, de Romana Sede benemeritis, decimas tribuit Locorum Creſcentini, Sancti Januarii, Fontaneti, Palazolii, & Caſalis. Inſuper Anno MCCXXI. quum praedicti Regulares Veſulani domicilium Caſalenſe ob pertinacem Bellorum furorem deſerere coacti eſſent; intimus ille Aulicus Falzettus ab Imperatore Friderico II. obtinuit, ut

an-

annuente Pontifice, nec diſſentiente Ugone Feſſa Vercellarum Epiſcopo, Papienſis Collegiatae Archipreſbiter Caſalenſi Eccleſiae praeſideret. Diſciplinantium item Sodalitium, hoc nomine primum ſic appellatum, in Caſalenſi Urbe ad Annum uſque MCCLX. ſub Conceptionis Immaculatae Mariae titulo inſtitutum, ſub Anno MCCCLVI. a Joanne Fliſco Januenſi Vercellarum Antiſtite confirmatur. Non ita tamen Caſalenſis Eccleſia Vercellenſi auctoritati ſubmiſſa ſtetit; quin & in multis, gravibuſque etiam rebus juris ſui quodammodo eſſet, vel ſuum Praepoſitum tamquam immediatum quoque Praeſulem agnoſceret. Qua de re viſa fuit mediata interdum, ſeu demandata potius Vercellarum Epiſcopo poteſtas. Siquidem apud Ughellum ita legitur. *Anno deinde MCXCIX. Innocentius III. Albertum de Caſtro Gualterii Epiſcopum Vercellenſem ad Parmenſes, Placentinoſque legavit, qui ob Sancti Donini Burgum conſternati erant ad arma. Idem Pontifex ei praecepit, Anno ſui Pontificatus ſecundo, ut electionem quorumdam Fratrum per Clericos Caſalis Sancti Evaſii diris innodatos factam, irritam declararet.* Alghiſius tamen Auguſtinianus, & Hiſtoricus Caſalenſis, totam hanc Controverſiam exponit, nec ullam profecto de Caſalenſis Eccleſiae Clericis, aut Canonicis, diris, aut Pontificia Cenſura perculſis, mentionem facit. Praeterea ſub Anno MCXLII. quum Eccleſiae Caſalenſis Canonici Regulares viderent ſibi a Laicis perſonis bona occupari; non ad Vercellenſem Antiſtitem,

ſed ad Pontificem Innocentium II. confugerunt, qui Laicos Cenſuris impetiit, niſi praedicta Bona inique occupata reſtituiſſent; uti ex Bulla, quae in Caſalenſis Cathedralis Archivio extat; in qua perſonis quibuſcumque Laicis, & Saecularibus inhibetur, ne in Canonicorum Sancti Evaſii bona moleſtiam ullam, vel injuriam inferant; quae quidem bona ſigillatim in Apoſtolicis Litteris recenſentur. Hanc autem fere immediatam a Romana Sede ſubjectionem factum aſſeverat. Etenim ſub Anno MCLXVII. Ugutio Epiſcopus Vercellenſis apud Pontificem Alexandrum III. enixe inſtitit, ut, quum Baſilicae Caſalenſis negotia (ut ipſe ajebat) ex Canonicorum incuria peſſum irent; idem Papa eoſdem removeret, vel correctos eſſe ab Epiſcopo Diaeceſano permitteret. Hujuſmodi tamen querimoniae fruſtra jactatae viſae ſunt; quinimmo Bulla Innocentii III. poſtmodum ſubſecuta eſt, quae incipit. *Praepoſito Eccleſiae Sancti Evaſii de Caſali*, quam refert Ughellus. In hac enim Summus Pontifex Romanus *ſub protectione Beati Petri Apoſtoli* Caſalenſem Clerum ſuſcipit; ac praeter ampla privilegia, ſubjiciuntur Sancti Evaſii Baſilicae Eccleſiae complures tum urbanae, tum ſuburbanae. In eodem etiam Pontificio Diplomate conſpicitur ſane Caſalenſis Eccleſiae Praepoſitus plurimi factus, ad quem Apoſtolicae Litterae diriguntur. Quamobrem & Anno MCLXXXII. a Lucio III. Summo Pontifice Stephanus item Praepoſitus Privilegiorum confirmationem obtinuit, quae

jam

jam Caſalenſi Eccleſiae Praedeceſſores Paſchalis II., Celeſtinus II., Innocentius II., & Alexander III. conceſſerant, ut conſtat ex ejuſdem Lucii III. Bulla in Archivio Capituli ſervata. Hinc ſub Anno MCDLX. quum ſpiritalis Societas Confratrum, qui Apoſtolorum nomine appellabantur, ab Acconenſi Epiſcopo, Amedei Vercellarum Antiſtitis ſuffraganeo confirmaretur; iiſdem Confratribus conceditur, ut Sacram Aediculam in Templo Sanctae Mariae de Platea erigere valeant, cum hac tamen clauſula: *Eccleſiae Sancti Evaſii Praepoſito, & Canonicis conſentientibus.* Itaque ex hiſce omnibus compendioſe collectis, atque adnotatis, ſatis utique comprobatur, Caſalenſem Eccleſiam in ſumma dignitate, & honore extitiſſe, ex iis nimirum Privilegiis, ac Indultis, quae tum Reges, tum Imperatores Auguſti, tum denique Romani Pontifices Maximi liberaliter eidem elargiti ſunt. Ceterum Caſalenſis Eccleſia non ſolum ex Perſonarum Illuſtrium, quae in ipſa degerunt, antequam proprios haberet Epiſcopos, dignitate, ac ſplendore clareſcebat, ſed & inſignium Virorum, qui ab eadem provenerant, praeſtantiſſima cognoſcebatur. Quapropter non paucos pietate inſignes, multos Religionum Praeſules, Abbates, Prothonotarios, ac Antiſtites complexa eſt: quorum ſingulos recenſere quum valde prolixum eſſet; ad Epiſcopos dumtaxat, qui ad noſtram pervenerint notitiam, ſermonem traducemus. Anno MCCIX. Ubertus Coconatus Epiſcopus Eporedienſis creatur,

creatur, cujus intuitu Fridericus II. Caeſar amplum Eporedienſi Eccleſiae privilegium impertiit, quod refert Ughellus. Anno MCCXXXVII. Ubertus Carena Praeſul Aſtenſis aſſumitur. Anno MCCCXLVIII. Guilielmus Mirolius Franciſcanorum Conventualium alumnus a Clemente VI. Summo Pontifice Caeſenatenſis Antiſtes conſecratur. Anno MCCCLXIX. Petrus de Coconato Epiſcopus Placentinus efficitur, cujus extat in Cathedrali Placentiae Sepulcrum cum hoc Epitaphio:

RR. in Chriſto Patris, ac D. Noſtri
Petri de Coconato Montisferrati,
Dei gratia Epiſcopi Placentini, & Comitis,
Qui obiit Anno Dom. MCCCLXXII.
Die Iovis XIII. *menſis Maii.*

Anno MCCCXCIV. Albertus Sangeorgius ex Blandratae Comitibus, inter Fratres Minores Divi Franciſci percelebris Theologus, & Orator Apoſtolicus, ob ejus merita a Bonifacio IX. Romano Pontifice Epiſcopus Feltrinus eligitur. Fallunt tamen Bernardinus Scardonus, ac ipſe Ughellus, eum ſecutus, qui Sangeorgium *Praeſulem Patavinum* dicunt. Conſpicua enim fuit ſemper Sangeorgii familia in Monteferrato, & in Caſalenſi urbe commorata. Alii variarum Eccleſiarum Caſalenſes Antiſtites hic loci non recenſentur, quum in ſubſequentibus noſtris Diſſertationibus opportunius exhibeantur.

DE

DE CASALENSI ECCLESIA, *Epiſcopali Sede decorata* *Diſſertatio Quarta.*

Reliquum eſt, ut ad ſequentes, veluti rerum Spiritalium Urbis Caſalenſis Annales, ea, qua utimur, brevitate, & claritate progrediamur, donec ad illum ſtatum diem deveniamus, quo Divinae voluntati, ac Providentiae Caſali exoptatum Epiſcopum tribuere placuit. Interim ſcribit Abbas Ughellus, ſe non inveniſſe, quo tempore Praepoſitus, & Saeculares Canonici in Caſalenſem Baſilicam fuerint introducti; putat vero, antequam ipſa Sancti Evaſii Eccleſia in Cathedralem erecta eſſet. Facilis tamen conjectura eſſe poteſt, uſque ad Friderici II. tempora Saeculares Canonicos moram hic Loci habere coepiſſe; quandoquidem ob ſaeva diſcrimina Bellorum, quae Montisferrati provinciam devaſtabant, Regulares Canonici ab hac earum antiqua Sede deceſſerant. Iccirco Caſalenſis Eccleſia tamquam ſupremo deſtituta Cleri capite, a Romano Pontifice Honorio III., vel Gregorio IX., inſtante Imperatoris Majeſtate, obtineret, ut primo (quod ſupra innuimus) Eccleſiae Ticinenſis Archipresbiter in Caſalenſis Eccleſiae Praepoſitum eligeretur. Anno deinde MCDIV. monumenta extant de quodam Henrico de Comitibus Caſalenſi Cive, Sancti Evaſii Praepoſito, & Vercellarum Antiſtitis Generali Vicario. Etenim de hoc fit mentio

mentio in admiſſione Confratrum Diſciplinantium ; Anno ut ſupra. Ex eorumdem etiam Confratrum Inſtitutione denuo confirmata Anno MCDXV., conſtat, interpoſitam eſſe auctoritatem Praepoſiti Cathedralis Jacobi de Bazanis Nobilis Caſalenſis, qui Vicarii Generalis Epiſcopi Vercellenſis munere ſimiliter fungebatur. Interea quum Caſalenſis Eccleſia majus in diem decus, multumque exiſtimationis conſequeretur, ſub Anno MCDXL. Ugo Cardinalis, a latere Eugenii IV. Summi Pontificis Legatus, Caſali moram agens, non tantum Divi Evaſii Baſilicam ſupellectilium copia ditavit, quantum Caeleſtibus etiam Indulgentiarum theſauris communivit. Neque ſolum intus, ſed foris hoc ſaeculo decimo quinto praeclarae Caſalenſes perſonae in Eccleſiaſtica ſublimi erant Hierarchia; inter quas ex inclyta Scarampa ſtirpe Henricus ex Comitibus Camini, Albenſis Epiſcopus; hinc Feltrinus Antiſtes, qui Sanctitate non vulgari praeditus obdormivit in Domino, Anno MCDIV. ſub Anno MCDXLV. Rolandus Scarampus Patriarcha Conſtantinopolitanus a Bzovio commendatur; tum vero Eminentiſſimus Cardinalis Ludovicus Scarampus praefulget, qui apud Ughellum Sanctae Mariae Claravallenſis Commendatarius enunciatur. Sed & aliam Caſalenſis Civitas habuit ſortem, ex illuſtrium Virorum praeſentia, & mora. Etenim Anno MCDIII., quo Barnabas Vicecomes Montisferrati ditionem Theodoro Paleologo reſignavit, in Caſalenſem urbem Di-

vus

vus Vincentius Ferrerius, praeclarum Dominicani Ordinis lumen, ingreſſus eſt, ibique animarum zelo deflagrans concionatus publice, maximum in Fide, ac Religione Catholica progreſſum novit. Item de Anno MCDXXX. quum inter ſe Caſalenſes Cives ſaeva quidem diſcordia decertarent; ad hanc Civitatem ſe contulit Divus Bernardinus Senenſis, miraculorum copia inſignis, & Seraphici Ordinis ſplendor, qui exacerbatos animos humane, pieque conciliavit adeout Civitatis inſignia Auguſtiſſimum JESU nomen exinde reciperent. Jam vero ad annum MCDLXXIV. perventum erat, quum Guilielmus I. Paleologus, ac Montisferrati Marchio XX., tam Subditorum amantiſſimus, quam omnium, quae Caſalenſi Urbi maxime congruerent, ornamentorum ſtudioſiſſimus, a Sixto IV. Saonenſi Pontifice Maximo obtinuit, ut Caſalenſis Eccleſia Epiſcopali Infula decorata eſſet. Quod ſi Decreto Pontificio cautum erat, *ne Civitatibus, niſi Fidelium copia affluentibus, Epiſcopi tribuerentur, ne dignitas etiam vileſceret*; digniſſima quidem erat Urbs praeſtantiſſima Caſalenſis, quae Epiſcopali quoque Dignitate praefulgeret. In hac ergo Summi Pontificis benigna conceſſione, quam infra exponemus, ſigillatim Oppida, atque Caſtella enumerantur, quae Caſalenſi novo Epiſcopo addicuntur: & a veteri Vercellenſi, & Aſtenſi juriſdictione abdicantur. De Caſalenſi Eccleſia ad hujuſmodi Dignitatem evecta ſic diſertiſſimus Ughellus. *Hanc Catedralis titulo inſignivit*

ſignivit Sixtus IV. Pontifex Maximus Anno MCD-LXXIV., illique pro Diaeceſi ſexaginta Caſtella a veteri juriſdictione Aſtenſi, ac Vercellenſi divulſa cum novo Paſtore attribuit. Epiſcopatus autem erectionis Diploma ita formatum eſt: *Sixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei ad aeternam rei memoriam. Pro excellenti praeminentia Sedis Apoſtolicae, in qua poſt Beatum Petrum Apoſtolorum Principem, quamquam imparibus meritis, pari tamen auctoritate conſtituti ſumus in Agro irriguo militantis Eccleſiae, novas Epiſcopales Sedes, Eccleſiaſque plantare Romano Pontifici dignum arbitramur, ut per novas plantationes populorum augeatur devotio, Divinus cultus effloreat, ſubſequatur Animarum ſalus, & loca humilia illuſtrentur; idque nos libentius agimus in his locis, in quibus variis plerumque occaſionibus neceſſitas ſubeſſe conſpicitur, ut propagatione novae Sedis, & aſſiſtentia honorati Praeſulis cum decenti Miniſtrorum numero ſibi propoſitum aeternae felicitatis praemium facilius valeant adipiſci: Sane cupientes ſaluti Animarum Eccleſiaſticarum & Saecularium Perſonarum incolarum Caſalis, Torcelli, Cunioli, Pontiſturae, Cumini, Caſtri Sancti Petri, Monaſterii, Rochae, Gabiani, Monceſtini, Villaemirolii, Cavagnolii, Bruſaſchi, Muriſenghi, Villaedialis, Tonchii, Montilii, Montiſcalvi, Grazzani, Ottilii, Olivolae, Fraxineti, Roſignani, Caſtillonarum, Cellae, Salae, Conzani, Camagnae, Terriculae, Lù, Vignalis, Altaevillae, Caſurtii, Occimiani, Caſtrigranae, Mirabelli, Baldeſchi, Sanſtigeorgii, Trivillae, Cereſeti, Ozani, Seralongae, Selunghelli, Ponzani, Salabò, Montisbelli,*

Cer-

Cerrinae, Odalenghi Sturiae, Odalenghi Prati, Montalerii, Caſtelletti Merlorum, Plani Cerreti, inter Padi, & Tanari flumina; & quod ultra Padum eſt verſus Civitatem Vercellarum, Tridini, necnon quae inter dicta flumina conſiſtunt, Felizani, Montiſmagni, & Caliani, Oppidorum, Caſtrorum, Villarum, & Locorum Vercellenſis, & Aſtenſis Diaeceſis temporali Dominio dilecti Filii Nobilis Viri Guilielmi Marchionis Montisferrati ſubjectorum. Quorum numerus, benedicente Domino ab aliquibus temporibus citra plurimum auctus exiſtit, providentem poſt deliberationem, quam ſuper his cum Fratribus noſtris Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalibus habuimus diligentem; demum iis, & aliis rationabilibus cauſſis moti, de eorumdem Fratrum conſilio, Oppida, Caſtra, Villas, & Loca praedicta omnia cum omnibus, & ſingulis eorum Villis, Tenimentis, Territoriis, Feudis, Pertinentiis, Monaſteriis, Prioratibus, Praepoſituris, & aliis piis Locis, & Beneficiis Eccleſiaſticis, Clero, & Populo a Vercellenſi, & Aſtenſi Diaeceſi, praedicta auctoritate apoſtolica praeſentium tenore, ſeparamus, diſmembramus, & dividimus, & ab omni Dominio, Superioritate, & juriſdictione Venerabilium Fratrum noſtrorum modernorum, & pro tempore exiſtentium Vercellenſium, & Aſtenſium Epiſcoporum, eadem auctoritate eximimus, & totaliter liberamus, ac decernimus, ea de cetero eiſdem Vercellenſibus, & Aſtenſibus Epiſcopis non ſubeſſe, & illos in iiſdem Oppidis, Caſtris, Villis, Locis, Territoriis, Monaſteriis, Prioratibus, Praepoſituris, piis Locis & Beneficiis Eccleſiaſticis, Clero, & Populo nullam juriſdictionem,

& ſuperioritatem habere, aut exercere poſſe: praefatumque Oppidum Caſalis inſigne, & famoſum, in quo dictus Marchio, ejuſque Praedeceſſores Marchiones Montisferrati, qui pro tempore fuerunt, cum eorum Curia reſidere conſueverunt; locum, in quo ſitum eſt, amoenitate, & ſtructurarum, & aedificiorum Eccleſiaſticorum, & aliorum magnitudine, & ſumptuoſitate, Incolarum quoque equeſtris Ordinis, & Theologiae, ac utriuſque juris, Artium, & Medicinae Doctorum, ac aliis Scientiis, & liberalibus Artibus peritorum, Nobilium, & Mercatorum ad tria millia hominum, & ultra aſcendentium numeroſitate, Civitatis nomine, & praerogativa digniſſimum, in Civitatem; Eccleſiam vero Sancti Evaſii dictae Civitatis, Collegiatam notabilem, & inſignem, in qua praeter illius Praepoſituram, dignitatem inibi principalem, decem Canonicatus, & totidem praebendae pro totidem Perſonis eſſe noſcuntur, in Cathedralem Eccleſiam Caſalenſem, & in illa Epiſcopalem Dignitatem eadem auctoritate erigimus: Praepoſituram vero praedictam majorem Dignitatem poſt Pontificalem eſſe volumus, & Oppidum Civitatis, illiuſque incolas & habitatores Civium; Eccleſiam vero hujuſmodi Cathedralis Eccleſiae nomine, dignitate, & inſignibus & honore, eadem auctoritate decoramus, ac omnibus & ſingulis privilegiis, honoribus, immunitatibus, favoribus, & indultis, quibus aliae Civitates, & Eccleſiae Cathedrales, ac eorum Perſonae in genere quomodolibet potiuntur, & gaudent, potiri, & gaudere volumus; praefataeque Eccleſiae ſic in Cathedralem erectae, dictam Civitatem pro Civitate, ac omnia, & ſingula Oppida, Caſtra, Villas, & Loca

ſu-

ſupradicta, ut praefertur, ab aliis Diaeceſibus dictis diſmembrata, cum eorum Villis, & Territoriis, pro ejus Epiſcopali Diaeceſi, & Eccleſiaſticos pro ejus Clero: Saeculares vero perſonas in illis habitantes pro ejus Populo, dicta auctoritate aſſignamus Civitatem, & Diaeceſim, Clerum, ac Populum hujuſmodi quoad jurisdictiones, ac Diaeceſanas leges, omnemque ordinariam ſuperioritatem Epiſcopo Caſalenſi, qui pro tempore erit, plenarie ſubmittendo, ita ut ipſe Epiſcopus Caſalenſis de cetero in illis poteſtatem, ſuperioritatem, & omnimodam juriſdictionem, quam Vercellenſes, & Aſtenſes Epiſcopi in eis hactenus exercere potueruut, perpetuis futuris temporibus exerceat. Pro ipſius Eccleſiae Caſalenſis dote, & menſa Epiſcopali, ac Epiſcopi Caſalenſis ſuſtentatione decenti, quadringentos Florenos auri de Camera ſolvendos annis ſingulis, eidem Epiſcopo de redditibus praefati, & pro tempore exiſtentis Marchionis Montisferrati, provenientibus ex poſſeſſionibus, & Feudis praediorum Coſtri, & loci ſui Baldeſchi dictae Caſalenſis Diaeceſis, & illius Territorii; Qui prope ſic erectam Civitatem conſtituit, de expreſſo conſenſu, & voluntate dicti Marchionis in hoc per dilectum Filium noſtrum Theodorum Sancti Theodori Diaconum Cardinalem procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, expreſſe conſentientem; praefata auctoritate aſſignamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae ſeparationis, diſmembrationis, diviſionis, exemptionis, liberationis, conſtitutionis, erectionis, decorationis, aſſignationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis

Dei,

Dei , ac Beatorum Petri , & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum , Anno Incarnationis Dominicae milleſimo quadringenteſimo quarto , quartodecimo Calendas Maii , Pontificatus noſtri Anno tertio . Hoc Diploma tranſcripſimus ex Libro antiquo M. S. , in Epiſcopali Caſalenſi Archivio conſervato. Huic autem congruit ſecundum ſubſtantiam Pontificis Sixti IV. Bulla ab Ughello adducta , quae tamen in aliquibus diſſonans eſt nominibus, terminis , & ampliationibus Locorum , quae in M. S. allato Diplomate non recenſentur. Haec enim ſunt Loca, quae deſunt , *Pomarii* , *Garolorum* , *Lazaroni* , *Lignani* , *Scandalutiae* , *Pini* , *Albugnani* , *Mondoni* , *Labriani* , *Placii* , *Montiſacuti* , *Tonenghi* , *Coconati* , *& Rezolani*: quae ſingula intra Padum , ac Tanarum flumina conſiſtunt. Alia item ultra Padum loca verſus Civitatem Vercellenſem ab Ughello referuntur , nimirum *Palazzolii* , *Fontaneti* , *Blanzatae* , *Liburni* , *Salugiarum* , *Carpaneti* , *Triceti* , *Morani* , *Balzolae* , *Salettae* , *Turioni* , *Villaenovae* , *& Grangae Gadii*. At vero noſtris temporibus aliqua intereſt Locorum variatio , cujus rei cauſſa non ita evidens eſt. Marcus Aurelius Cuſanus in ſua Vercellenſium Epiſcoporum hiſtoria , illa etiam enarrat alphabetice loca , a Vercellenſi ad Caſalenſem Eccleſiam tranſlata , quae (ut videtur) , centeſimum numerum ſuperaſcendunt. Tunc temporis Urbanus Bonivardus Monacus Benedictinus , Abbas Monaſterii Sanctae Mariae de Pinerolio,

&

& Commendatarius Prioratus Sancti Victoris extra muros Genevae, Vercellarum Praeſul erat, ad hanc dignitatem aſſumptus Anno MCDLXIX. pridie Idus Maii, Paulo II. Summo Pontifice. Hujuſmodi autem locorum ſuae antiquae Diaeceſis amiſſione, nec exiguam ſane juriſdictionem alio traductam (referente Ughello) leniter tulit Urbanus Antiſtes, ex eo quod Menſam ſuam Epiſcopalem (tamen impari certe accretione) augeri alias obtinuerit. Nam Sixtus IV. Papa Praepoſituram, & Eccleſiam Divi Bartholomaei Epiſcopali Vercellenſi Menſae denuo adjecit, ex ceſſione Latini Cardinalis Urſini, qui eamdem commendatam habuerat a Paulo II. antedicto, ſub Anno MCDLXVII. Aſtenſi vero Eccleſiae (a cujus ditione pauca tantum loca, nimirum Felizanum, Montemmagnum, & Calianum ad Caſalenſem Eccleſiam delata eſſe jam diximus) praeerat Epiſcopus Urſinus Malabayla ex Comitibus Montanae Tangi, & Abbas Sancti Marini, qui patriae Sedi admotus eſt ab eodem Sixto IV. ſub Anno MCDLXXIII. De hoc autem Praeſule nihil prorſus legitur, quod pro deperdita locorum ratione, Epiſcopali ejus Menſae adderetur, niſi quod Romae decedens Anno MCDLXXV. Teſtamentum ediderit, quo (ut ſcribit Ughellus) egregiam pecuniarum ſummam Cathedrali ſuae Aſtenſi legaverit. Quum itaque Caſalenſis Eccleſia Epiſcopali dignitate inſignita eſſet; piiſſimus aeque, ac prudentiſſimus Pontifex Sixtus IV. (in cujus benemerentiam Caſalenſes Cives pergratam re-

cor-

cordationem ſemper profiteri debebunt) ne ullae diſcordiae, controverſiae, ac pro juriſdictione contentiones orirentur impoſterum, ſequentem alteram Bullam conſtituit, quae ab Ughello vel neglecta vel certe omiſſa, nobis merito exponenda videtur. Eſt autem id genus ex antiquo Manuſcripto, in Epiſcopatus Caſalenſis Archivio, deprompta, ubi amplificationes, aliaque loca, quae in priori non continebantur Erectionis Diplomate, recenſentur. Eſt autem hujuſmodi. *Sixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei ad aeternam Rei memoriam. Super Gregem Dominicum, nobis licet immeritis divinitus creditum conſtituti, quod pro ſtatu proſpero, & tranquillo Eccleſiarum omnium, praeſertim Cathedralium, & illis praeſidentium Perſonarum ſalubriter dirigendo, & conſervando expediat, cogitare tenemur, unde ex conceſſionibus, & ordinationibus noſtris, quae pro Eccleſiarum earumdem proſperis ſucceſſibus, a nobis, licet ſollerti conſideratione praehabita emanarunt, dubia exoriri conſpicimus; illa prout ex paſtorali tenemur officio, ne jurgia, & lites pariant, per noſtrae prudentiae miniſterium declaramus; ſiquidem Civitatem, tunc Oppidum Caſalis, & nonnulla alia tunc expreſſa, ac generaliter omnia alia loca temporali Dominio dilecti Filii nobilis Viri Guilielmi Marchionis Montisſerrati ſubjecta, inter Padi, & Tanari flumina conſiſtentia Vercellenſis, & Aſtenſis Diaeceſium, cum omnibus, & ſingulis eorum villis, tenimentis, territoriis, pertinentiis, monaſteriis, prioratibus, praepoſituris, & aliis piis locis, & beneficiis Eccleſiaſticis, clero, & populo Vercellenſis, & Aſtenſis Diaeceſium praedictarum: necnon feuda, cenſus, fictus, fructus, redditus*

redditus, *& proventus*, *obventiones*, *reſponſiones*, *proprietates*, *juriſdictiones*, *inveſtituras*, *& bona in eiſdem Villis*, *& finibus*, *& territoriis eorumdem conſiſtentia*, *ad Menſam ipſam* Vercellenſem *tunc pertinentia*, *ab eadem menſa ſeparavimus*, *& diſmenbravimus*, *praeſatumque Oppidum Caſalis in Civitatem*, *& illius Eccleſiam Sancti Evaſii tunc Collegiatam*, *in Cathedralem ereximus*, *eique ſic erectae Eccleſiae dictam Civitatem pro Civitate*, *& alia Loca praedicta pro Diaeceſi*, *& perſonas Eccleſiaſticas*, *pro Clero : Saeculares vero in eis habitantes pro populo aſſignavimus primo*, *& deinde alia Loca dictae Vercellenſis Eccleſiae*, *& Diaeceſis ultra Padum conſiſtentia ejuſdem Marchionis Dominio ſubjecta*, *conſimili eorum Vercellenſis Diaeceſis praedicta diſmembratione*, *dictae Caſalenſi Diaeceſi aggregavimus*, *& Epiſcopo praefato*, *ſubjecimus*, *litteraſque deſuper fieri conceſſimus*, *in quibus poſtmodum expeditis propter Procurantium illarum expeditionem inadvertentiam*, *poſt quorumdam Locorum nominatim expreſſorum de hujuſmodi aliorum Locorum omnium inter dicta flumina conſiſtentium*, *necnon Feudorum*, *cenſuum*, *fructuum*, *reddituum*, *& proventuum*, *obventionum*, *proprietatum*, *reſponſionum*, *juriſdictionum*, *inveſtiturarum*, *& bonorum ademptione*, *a Diaeceſi*, *& Epiſcopali Menſa Vercellenſi*, *ac illorum conceſſione Eccleſiae*, *& Menſae Epiſcopali Caſalenſi praefatae mentio facta non fuit*, *& ea propter ſicut accepimus*, *a nonnullis dubitatur*, *ne inter Vercellenſem*, *& Caſalenſem Epiſcopos ſuper eiſdem Locis inter Padi*, *& Tanari flumina conſiſtentibus temporali Dominio dicti Marchionis ſubjectorum*, *necnon Feudis*, *cenſibus*, *fictibus*, *fructibus*, *redditibus*,

& pro reutilus, obventionibus, reſponſionibus, proprietatibus, juriſdictionibus, inveſtituris, & bonis exemptis, & conceſſis, ac in dictis litteris nominatim non expreſſis, quae cum Locis expreſſis in dictis litteris commixta ſunt, & illorum occaſione inter Venerabilem Fratrem noſtrum Urbanum Epiſcopum Vercellenſem, & dilectum Filium Bernardinum electum Caſalenſem, ac eorum Succeſſores Vercellenſes, & Caſalenſes Epiſcopos pro tempore exiſtentes, lites, & controverſiae oriantur; Nos, ne propter inadvertentiam procurantium earum litterarum expeditionem, & illarum, quae per Nos cum eiſdem Fratribus noſtris perinde factae fuerunt, executio retardetur, neve Eccleſia, & Electus Caſalenſis praedicti earum fruſtrentur effectu, providere, ac litibus praedictis obviare volentes, motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatae petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, declaramus Nos de eorumdem Fratrum conſilio, tempore Erectionis hujuſmodi Eccleſiae Caſalenſis, Pomarii, & Garolae, & Lazaroni, Lignanique, necnon Scandalutiae, & Moranſenghi, & Colcavagni, ac Moranſenghi Pini, & Albugnani, necnon Mondoni, & Labriani, Placii, & Montiſacuti, & Tonenghi, Coconati, & Vezzolani, Loca olim dictae Vercellenſis Diaeceſis; inter Padi, & Tanari Flumina praedicta ſita, & temporali dominio dicti Marchionis ſubjecta, & a Civitate Vercellenſi per quatuordecim milliaria ad minus diſtantia cum omnibus eorum Villis, Tenimentis, Territoriis, Pertinentiis, Monaſteriis, Prioratibus, Praepoſituris, & aliis piis Locis, ac Beneficiis Eccleſiaſticis, Clero, & Populo a Diaeceſi, necnon Feuda, cenſus, fictus, red-

redditus, & proventus, juriſdictiones, reſponſiones proprietates, jura, obventiones, inveſtituras, & bona praedicta in eiſdem, & aliis locis in dictis litteris nominatim expreſſis, & ſuper Finibus, & Territoriis eorumdem Locorum conſiſtentia, ab Epiſcopali Menſa Vercellenſi praedicta ſeparata, diviſa, et diſmembrata, ac totaliter liberata fuiſſe: Noſque decreviſſe ea de cetero eidem Vercellenſi Epiſcopo non ſubeſſe, & ad eumdem, ac ejus Menſam Epiſcopalem non pertinere, & eumdem Epiſcopum Vercellenſem in eiſdem Oppidis, Caſtris, Villis, Territoriis, Monaſteriis, Praepoſituris, Piis Locis, Beneficiis Eccleſiaſticis, Clero, & Populo nullam juriſdictionem, & ſuperioritatem habere, ſeu exercere, & in Feudis, cenſibus, fictibus, redditibus, & proventibus, juribus, obventionibus, reſponſionibus, proprietatibus, juriſdictionibus, inveſtituris, & Bonis diſmembratis hujuſmodi nullum penitus jus vendicare poſſe; ipſaque Pomarij, & alia Loca diſmembrata praedicta cum eorum Villis, Territoriis, Tenimentis praedictis, eorumque Clero, & Populo praefatae Eccleſiae Caſalenſi pro ejus Diaeceſi, Clero, & Populo conceſſiſſe, & aſſignaſſe: Feuda vero cenſus, fictus, fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, reſponſiones, proprietates, juriſdictiones, inveſtituras, & bona diſmembrata, & adempta, dictae Menſae Caſalenſi adjunxiſſe, applicaſſe, & appropriaſſe, ac pro tempore exiſtenti Epiſcopo Caſalenſi praedicto quoad Diaeceſis, & juriſdictionis Epiſcopalis Leges, omnemque ordinariam ſuperioritatem Feudalia, & alia jura per Epiſcopum Vercellenſem percipi ſolita, plenariè ſubjeciſſe, & ſubjugaſſe; Ita quod ipſe dictus Electus, ac pro tempore exiſtens Epiſcopus Caſalenſis de cetero

in Pomarii, & aliis Locis poteſtatem, & ſuperioritatem, & omnimodam juriſdictionem, qua Epiſcopus Vercellenſis praefatus ante ademptionem praedictam exercere poterat, perpetuo exerceret, ac Feudis, cenſibus, fictibus, fructibus, redditibus, & proventibus, obventionibus, reſponſionibus, proprietatibus, juriſdictionibus, inveſtituris, & bonis praedictis, eiſdem modis, formis, & auctoritate, quibus Epiſcopus Vercellenſis hactenus potiri, & gaudere conſueverat; de cetero potiretur, frueretur, & gauderet, pari modo perpetuis temporibus futuris potiatur, & gaudeat: inhibentes praefato Epiſcopo Vercellenſi, ne contra praeſentium litterarum tenorem in praedictis Pomarii, & aliis Locis diſmembratis a Diaeceſi ſua Vercellenſi aliquam juriſdictionem, & ſuperioritatem de cetero exercere: neve de Feudis, cenſibus, fictibus, fructibus, redditibus, & proventibus, obventionibus, reſponſionibus, proprietatibus, juriſdictionibus, inveſtituris, & bonis praefatis ejus Menſae Epiſcopali ademptis, & dictae Menſae Caſalenſi applicatis, ut praefertur, ſe intromittere quoquo modo praeſumat: ac decernentes ad Eccleſiam, Epiſcopum, & Menſam Caſalenſem pertinuiſſe, & pertinere, ſicque per quoſcumque Auditores, & judices, & Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinales in quavis cauſſa judicare, & interpretari debere, ſublata eis alia gravi aliter judicandi, interpretandi facultate, & auctoritate, necnon ex nunc irritum, & inane ſit ſuper his a quoque, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: & inſuper Venerabilibus Fratribus noſtris Aquenſi, & Albenſi, ac Alexandrinenſi Epiſcopis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios

prae-

praemiſſa, ubi, & quomodo opus fuerit, ſi noverint, fuerintque deſuper legitime requiſiti, ſolemniter publicantes, ac Electo, & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Caſalenſi efficacis defenſionis ſubſidio aſſiſtentes, faciant eumdem electum, & perpetuo Epiſcopum Caſalenſem pacifica poſſeſſione, vel quaſi Epiſcopalis ſuperioritatis quoad leges praedictas in omnibus locis praedictis, & tam in prioribus, quam in praeſentibus Litteris expreſſis, necnon Feudis, cenſibus, fictibus, fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, & obventionibus, proprietatibus, reſponſionibus, inveſtituris, & bonis praedictis gaudere: non permittentes per praefatum, & pro tempore Vercellenſem Epiſcopum, aut alios quoſcumque ſuper illis indebite moleſtari, contradictores auctoritatis noſtrae, approbatione poſtpoſita, compeſcendo: non obſtantibus praemiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis in dictis aliis noſtris Litteris voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum hanc paginam noſtrae Declarationis, inibitionis, conſtitutionis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire praeſumat. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romae apud ſanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto Calendis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno quarto. Hic adnotare juvat in hoc Diplomate *Coconatum* inter ſubjecta Loca Caſalenſi Eccleſiae reponi: quod tamen ſub Vercellenſi Ditione nunc eſt, quinimmo ab Aurelio Cuſano inter

ſeptem-

ſeptemdecim Vercellenſis Diaeceſis Vicariatus recenſetur, Vercellenſem ſedem tenente Joanne Stephano Ferrerio Bugellenſi Anno MDC. Iccirco aliorum etiam locorum, vel mutatio, ac translatio, vel eorum nominum variato (neſcio quo fato) invenietur.

DE SANCTI EVASII BASILICAE
Antiquo, ac praeſenti ſtatu.
Diſſertatio Quinta.

INſignis Baſilicae nomine Caſalenſis Eccleſia Sancti Evaſii donata eſt, ut jam diſſeruimus, a Luitprandi Regis uſque temporibus; hinc introducti Canonici Regulares Veſulani, ac iſtis loco cedentibus, intromiſſi ſunt Saeculares, quorum Praepoſitus ſummam inter illos auctoritatem habebat. Aliam vero Collegiatam Eccleſiam Caſalenſis Civitas non adeo antiquam retinet, quae in Sanctae Mariae, vulgo de Platea, Templo reſidet, reſtaurato, vel potius denuo extructo ſub Anno MCDXLII., jam diruta labenti veteri Aede, e cujus fundamentis ea, quae nunc conſpicitur, excitata eſt. At vero Sancti Evaſii Baſilica, antequam eidem dati eſſent Epiſcopi, celebris, atque conſpicua fuit: quapropter ſub Anno MCDL. procurante, atque inſtante Nicolao V. Summo Pontifice, ut Chriſtiani Principes ſimultates invicem relinquerent, neve inter ſe arma crudeliter diſtringerent,

rent, quod potiſſimum in cauſſa erat, cur taeterrimi hoſtes Turcae majores in Europa progreſſus facerent (potiti enim erant Conſtantinopolitana urbe, Orientalibus Imperatoribus ab avita Sede depulſis, atque fugatis) miſit a latere legatum ad Catholicos Principes, Cardinalem Guilielmum de Ugone Gallum, qui Anno, ut ſupra, Caſale pervenit, & ſacra Divi Evaſii reliqua veneratus, Cives, Clerumque permovit, ut preces ſuppliciter Deo funderent, ut Principes unanimi conſenſu in communem Hoſtem convenirent: deinde Caſalenſi Eccleſiae, quam plurimi fecit, maximos Indulgentiarum theſauros apoſtolica auctoritate impertiit. Item Anno MCDLIX. Pius II. Piccolomineus Senenſis Pontifex Maximus centum quinquaginta Florenos aureos Sancti Evaſii Templo applicuit, ex legato munere Laurentii Loterii Civis Caſalenſis. Quod Canonicorum Evaſianae Baſilicae numerum ſpectat, reperio ad Annum MCDLX. fuiſſe ultra Praepoſitum decem tantum: quinimmo ex tempore, quo primus datus eſt Epiſcopus, eumdem omnino numerum non exceſſiſſe: quod utique conſtat ex ipſorum Canonicorum inſtantia facta, ut Archipresbiter, aliaeque Dignitates Caſalenſi Eccleſiae Sancti Evaſii concederentur. Eſt autem inſtantia, vel ſupplicatio hujuſmodi, quam ex antiquo M. S in Epiſcopatus Archivio aſſervato tranſcripſimus -- *In Nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejuſdem milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione*

ſeptima,

ſeptima, die vigeſimo ſeptimo menſis junii. Actum in Civitate Caſalenſi Sancti Evaſii, videlicet in Sacriſtia majori Eccleſiae Sancti Evaſii; Ibidem convocato, & congregato Venerando Capitulo dictae Eccleſiae, de voluntate, & mandato Reverendiſſimi in Chriſto Patris DD. Marci de Capitaneis, Dei gratia Epiſcopi Alexandrinenſis, & Reverendiſſimi DD. Bernardini de Theobaldeſchis, dictae Eccleſiae Epiſcopalis Sancti Evaſii Electi videlicet Adminiſtratoris, ſpecialiter a Sede Apoſtolica Deputati. In quo quidem Capitulo interfuerunt praefatus Reverendiſſimus D. Epiſcopus, & Miniſter, ac Venerabiles Domini Angellinus de Sanctogeorgio ex Comitibus Blandratae Praepoſitus: Antonius de Rivialibus, Philippinus de Cacatoxicis, Facinus de Biſotis, Stefanus de Comellis, Bartholomaeus Corbella de Roſaſco, & Bonifacius de Sanctogeorgio ex Comitibus praedictis, omnes presbiteri, & Canonici praebendati dictae Eccleſiae, qui majorem faciunt, & praeſentant partem dicti Capituli, & Canonicorum, nunc in dicta Eccleſia reſidentium. Quum praedicta Eccleſia Sancti Evaſii fuerit erecta in Eccleſiam Cathedralem per Sanctiſſimum DD. noſtrum Sixtum, Divina Providentia Papam IV., & in ipſa Eccleſia adhuc non fuerit inſtitutus, & decretus Archipresbiter, nec aliquis Cantor, & non ſint in numero, niſi decem Canonici praebendati; ecce quod praefati Domini Praepoſitus, & Canonici exiſtentes in dicto Capitulo, habito prius inter eos, ut ibidem dixerunt, diligenti Tractatu, & deliberatione matura, ac in unum concordantes, & convenientes, & volentes

dictae

dictae Eccleſiae Sancti Evaſii *provideri de Archipresbitero, & uno Cantore, & praedictis DD. Canonicis dictae Eccleſiae, & Capitulo alios Canonicos ſupranumerarios addi, ſeu addere poſtulaverunt, & elegerunt, ut poſtulant, & eligunt in Archipresbiterum dictae Eccleſiae praefatum Venerabilem D Presbiterum Antonium de* Rivialibus *praeſentem, & acceptantem. In Cantorem antedictum poſtulaverunt, & elegerunt, ac poſtulant, & eligunt praefatum D. Stephanum de Comello Canonicum dictae* Eccleſiae, *praeſentem, & acceptantem, &c.* -- Auctus itaque fuit Canonicorum Sancti Evaſii numerus, & ad praeſentem diem unus, & viginti Canonici recenſentur, decora nunc ſuperinduti veſte (quam Cappam magnam appellant) Praeſulis Coconati tempore a Summo Pontifice Clemente XI. obtenta. Dignitates autem Cathedralis Eccleſiae ſunt: Praepoſitus, Archidiaconus, Archipresbiter, Cantor, Decanus, & Primicerius. Archidiaconus praebendae ſuae adnexam habet Torcelli paroeciam ſub Caſalis ditione. Duodecim porro in hac Sancti Evaſii Baſilica Praebendae habentur, quae Capellaniae vocantur. Cathedralis item Eccleſia ſibi ſpeciatim Animarum curam vindicat, iccirco duos viceparochos nominat, ac eligit, in Civitate unum pro Eccleſia Cathedrali, & populo Urbano; alterum ultra Padum pro Villis reſidentem. Quod autem a totius Capituli electione Viceparochus dependeat; ſatis conſtat ex Fide Baptiſmali, ab Archivio per Canonicos deſignatos elicita, cujus eſt formula.

Nos ſubſignati Dignitates, & Canonici ſuper Regimine Archivii Eccleſiae Cathedralis Caſalenſis deputati, fidem facimus, & verbo veritatis atteſtamur, ſicut in Libro Baptizatorum per R. D. NN. Viceparocum noſtrum deſcripto, & in dicto Archivio aſſervato, in fol. ejuſdem legitur, ut infra, videlicet, &c. Cantores etiam chorales additi ſunt quattuor, vulgo Manſionarii: Caeremoniarum magiſtri duo, alter pro Epiſcopo major; alter pro Canonicis minor: Beneficiati multi, & Clericorum Seminarium, alumnorum ſtudentium frequens, qui Philoſophiam, ac Theologiam tum moralem, tum ſcholaſticam, quinimmo ceteras inferiores Artes liberales in regio Lycaeo nunc edocentur. Orcheſtra item, Muſicorumque concentus non contemnendus auditur cum Organo exquiſitiſſimo, ac venuſtiſſimo, ob inauratam undique lignorum, ac ſtatuarum ſculpturam, a Venerabilis viri Canonici Paltrae Caſalenſis pietate conſtructo; legatis etiam ab eodem jam proventibus pro muſicorum emolumento neceſſariis. Interim de Collegiatae Sanctae Mariae de Platea ſermo etiam inſtitui neceſſe eſt. Etenim Anno MCD LXXIV. Theodorus Paleologus, Sancti Theodori Cardinalis Diaconus, apud Pontificem Sixtum IV. Romae adeo operatus eſt, ut ad Virginis Dei Matris honorem Eccleſia Paraecialis Sanctae Mariae de Platea, quae Sancti Evaſii Baſilicae primo addita erat, Collegiatae nomine donaretur: iccirco Canonici introducti ſunt, qui ab Epiſcopo, & Cathedralis Eccle-

ſiae

ſiae Capitulo minime dependerent (ut ſcribit Alghiſius) duabus dignitatibus inſtitutis, Praepoſito nempe, & Archipresbitero cum reliquis Canonicis, quibus ampla conceſſa fuere privilegia a praelaudato Cardinale Principe, Guilielmi Paleologi Marchionis fratre. Noſtris tamen temporibus non ita eximitur haec Collegiata, quin Epiſcopo etiam Caſalenſi ipſa ſubiiciatur. Sed praeter Dignitates Praepoſiti, & Archipresbiteri, octo habentur Canonici, quorum ſinguli reſidere tenentur. His additur Fraxinelli Parochus, qui tum Canonici hujus Eccleſiae nomine inſignitur, tum vocem activam in Capitulo habet, ad reſidentiam vero non tenetur: tum inde alter in Civitate pro Eccleſia vulgo dicta Sanctae Mariae de Platea, cujus Rector a Canonicis quoque nominatur. At nuper duo alii Canonici additi ſunt, quorum quidem numerus a Civium Caſalenſium pietate in dies augendus cenſetur. De hac autem Collegiata in Diſſertatione VII. nonnihil praeterea reponemus. At vero aliae in Caſalenſi urbe Paraeciae conſiſtunt; illa nimirum Sancti Stephani, cuius collatio ad Cathedralis Eccleſiae Capitulum ſpectat, eiuſque Rector Praepoſiti ſibi nomen adſciſcit: illa Divi Hilarii, quam Regulares Carmelitae Congregationis Mantuanae obtinent. Item aliae ab Alghiſio recenſentur, nimirum Paraecia vulgo *del Caſtello* ſub titulo Sanctae Mariae, & illam quondam Caſalenſis Arcis, ſub titulo Sancti Georgii; tum etiam Eccleſia Hoſpitalis Infirmorum, & Expoſitorum, cujus habebant jus loci

olim Rectores; nunc temporis a Principe regnante immediate dependet: iccirco Epiſcopus, Praeſes urbis, Cathedralis Praepoſitus, & alii praeſtantes viri pium locum moderantur, & ſeſſionibus opportune habendis una ſimul interveniunt. Modo reſtat, ut etiam extra Caſalenſem urbem paullulum expatiemur. Itaque, ut ex Pontificiis diplomatibus probe conſtat, Diaeceſis ampliſſima Caſalenſem Eccleſiam praeclaram, ac illuſtrem magis reddit. Etenim inter Praepoſituras, Prioratus, atque Paroecias, inſignes habentur Abbatiae Vezzulani, Grazzani, & Lucedii: quarum altera nempe Grazzani ſub titulo Sanctorum Victoris, & Coronae (ex Cuſano autem Sanctorum Petri, & Chriſtinae) ab antiquis Montisferrati Marchionibns fundata eſt uſque ab Anno DCCCCLI. V. Idus Auguſti. Vel potius ab Anno DCCCCLXI., quum ſub Ingone Vercellarum Epiſcopo (ut refert idem hiſtoricus Cuſanus) Princeps Aleramus una cum Giberta uxore, Regis Berengarii filia, inter Aſtenſem, & Vercellenſem tunc Diaeceſim, Grazzani Monaſterium a Patre inchoatum Gibertae, & in Abbatiam erectum, inſtauraverit, & abſolverit; quemadmodum etiam a Benvenuto Sangeorgio nobili Annalium MontisferratiScriptore relatum eſt. jam vero perinſignis quoque Lucedii Abbatia ſub Vercellenſi erat ditione, uti ex locorum amiſſorum enumeratione, quum Caſalenſi Eccleſiae addita fuerint, ab Aurelio Cuſano facta, manifeſtum utique apparet. In Caſalenſi, ergo Diaeceſi eſt; & ſe jurispatronatus

Regii

Regii eſſe cognoſcit. Conſpicitur haec ſub Sanctae Mariae titulo prope Liburnum in Canapicio, a Raynerio, Bonifacii Marchionis fundatoris nepote inſtaurata (ex Ughelli monumentis) Anno MCCXXVI., reſervato ſibi, & ſucceſſoribus ſuis Patronatus jure. Praeterea Guilielmus Marchio, *Magnus* vocatus, ob illatas in Derthonenſem, Vercellenſem, & Eporedienſem Epiſcopos injurias, diris innodatus, in Paenitentiae titulum plura eidem Coenobio bona contulit, auxitque ipſius cenſus, adeout totius Montisferrati ditiſſima Abbatiarum ad praeſens tempus habeatur. Primi huius Coenobii cultores Benedictini nigri fuerunt: Ciſtercienſes deinde, operante, ac inſtante Divo Bernardo Abbate Claravallenſi ſub anno MCXXIII., qui e Monaſterio Firmitatis Cabilonenſis Diaeceſis, ut illic conſiſterent, Monachos evocavit. Id etiam a Benvenuto, & Alghiſio ſic confirmatur. *Anno MCXXIV., quum Divus Bernardus Abbas Claravallenſis Mediolanum petiiſſet, ut Cives invicem conciliaret ſuper Epiſcopi electione; Roboaldum Antiſtitem Albenſem in Praeſulem elegerunt. Hinc ſe in Montemſerratum contulit, & Marchio Raynerius Ciſtercienſibus Monachis Lucedii Abbatiam impertivit*. Habetur inde, quod Ciſtercienſium Monachorum gubernio Lucedii Coenobium non multum ſtetit: quare juſtis de cauſſis a Romano Pontifice Ciſtercienſibus remotis, Commendataria Abbatia in Clericos Saeculares tranſlata eſt. Poſtea Guilielmus VI. Paleologus, qui nominandi commendatarium Abbatem a Sixto IV. poteſta-

tem

tem obtinuit (quum deficiente jam Alerami ſtirpe, per plures annos Romani Pontifices ſibi hoc jus vindicaſſent), ut Ciſtercienſes denuo ingrederentur, ibique moram agerent, humane permiſit. Tenet autem nunc temporis Commendatarius Abbas Praetorem in Palatio, ubi jus dicitur: item duos Parochos, & Generalem Vicarium pro rebus Eccleſiaſticis locat. Non incongruum erit hic loci adnotare, nonnullos Auctores diverſa de hujus Abbatiae Lucedii fundatione tempora afferre, necnon diverſis etiam nominibus, ac titulis inſignire. Etenim primum Sancti Michaelis Arcangeli Monaſteriolum dictum eſt, ut ex Berengarii Regis Donatione Vercellenſi Eccleſiae facta ſub Anno DCCCCI., quam Donationem refert Aurelius Cuſanus. Quamobrem, ut diſcrimen Ughellus auferat, duplicem Lucedii Abbatiam innuit, ac in diverſis quoque locis poſitam eſſe tradit: quarum primam Sancti Michaelis appellat: alteram Sanctae Mariae, quam a prima veluti a matre, ortam demonſtrat. Verum tamen eſt, eamdem omnino eſſe, ab antiquis Montisferrati Marchionibus fundatam, & ab eorum ſucceſſoribus Principibus inſtauratam, atque ditatam: ex quo diverſa de tempore, ac fundatoribus ratio ſuborta. Ut vero Caſalenſem Diaeceſim univerſim conſideremus; haec Archiepiſcopo Mediolanenſi Metropolitano ſubjecta ab Ughello adnotatur; itaut illius ſuffraganei ſint Epiſcopi *Albenſis*, *Albintimilienſis*, *Alexandrinenſis*, *Aquenſis*, *Bergomenſis*, *Brixienſis*, *Caſalenſis*, *Cremonenſis*,

ſis, *Derthonenſis*, *Laudenſis*, *Novarienſis*, *Saonenſis*, *Vercellenſis*, *& Viglebanenſis*. In ſuperadductis Sixti IV. Diplomatibus nullibi apparet, cuinam Metropolitano Caſalenſis Epiſcopus ſit ſuffraganeus; ſed ex Bulla Pii V. Sanctiſſimi Pontificis, de Caſalenſis Epiſcopi Aldegatti electione dignoſcitur. Haec enim habentur -- *Rogamus quoque chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Nobilem virum Guilielmum Mantuae Ducem, qui etiam Montisferrati Marchio exiſtit, ac Venerabilem Fratrem noſtrum Archiepiſcopum Mediolanenſem, ipſi Archiepiſcopo per eadem ſcripta mandantes, quatenus Te, & praefatam Eccleſiam Caſalenſem dicti Archiepiſcopi ſuffraganeam habeant, pro noſtra, & dictae Sedis reverentia propenſius commendantes: in ampliandis etiam, & conſervandis ejuſdem Eccleſiae juribus, ſic te benigni favoris auxilio proſequantur* -- Caſalenſis tandem Eccleſiae Diaeceſis, ad orientem Papienſi, Mediolanenſi, & Alexandrinenſi: ad meridiem Aquenſi, & Aſtenſi: ad occaſum Eporedienſi, ac Taurinenſi Diaeceſibus finitima eſt. Oppida, caſtra, & pagi decem, & centum; in quibus Paraeciales Aedes viginti fere ſupra centum annumerantur. Ceterum Caſalenſis Epiſcopus non tantum ſpiritalem, ſed & temporalem in vaſſallos quoſdam Epiſcopalis Menſae, mediatam juriſdictionom tenet: quapropter aliquae Inveſtiturae ab ordinario Praeſule nunc temporis etiam conferuntur.

DE

DE SANCTO MARTYRE EVASIO

Caſalenſis Civitatis Patrono.

Diſſertatio Sexta.

HUcuſque de Caſalenſis Eccleſiae tum priſca, tum aucta, tum praeſenti Dignitate, atque praeſtantia diſſeruimus; nunc rerum ordo poſtularet, ut de ſupremis ejuſdem Paſtoribus ſermonem deinde inſtitueremus, eorumque vitam, clarioraque geſta explicare contenderemus. Hoc in votis eſt; verum antequam huic operi, non parum quidem laborioſo, manum admoveamus, nos operae pretium facturos putamus (aliorum etiam illuſtrium Scriptorum exemplo freti), ſi primum a Caſalenſis Urbis, & Eccleſiae Patrono Sancto martyre Evaſio noſtram auſpicaremur Narrationem. Beati Evaſii martyris glorioſiſſimi vitam, & luculenta ejuſdem geſta varii Auctores, nec infimae notae, expoſuerunt. Primus ex profeſſo Tractationem habuit Joannes Monachus Benedictinus in Divi Januarii Coenobio alumnus, qui membranaceum manuſcriptum reliquit. Hac autem ſcripta membrana innixus Joannes Dominicus Balianus Nobilis Caſalenſis ex Dominis Odalenghi Prati, Sancti Evaſii vitam Italica lingua exaravit. Dignam quoque mentionem faciunt de Sancti Evaſii martyrio Marius Vipera,

pera, Guilielmus Baldeſſanus, Ludovicus, & Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia, Chronicon Novalienſe, Andreas Chunenſis, Joannes Baptiſta Mutina, tandemque Fulgentius Aemilius Caſalenſis ex Ordine Heremitarum Sancti Auguſtini, qui martyrii hiſtoriam non tantum cumulatiſſime explanat, ſed ea, quae hac de re ſunt magis veritati conſona, ſincere aperit: quae autem minus Vero cohaerentia ab Auctoribus comperit adnotata, ingenue oſtendit. Itaque Evaſii patria Beneventum, Apuliae urbs in Neapolitano regno. Sub Anno CCLX· Romam petiit, ibique a Sixto II., Civibus urbis Aſtae adprecantibus, Epiſcopus datur. Anno CCLXV. ad Aſtenſes converſus, demandatam ſibi Eccleſiam eximie adminiſtravit, donec ab Aſtenſi urbe, impiis Idololatris, vel potius infeſtiſſimis Hereticis ipſum inſequentibus, deceſſerit. Hinc poſt multas pro Catholica Fide, & Apoſtolica Romana Religione paſſus aerumnas, in Montisferrati terram deſtinat iter, quo ſuſcepto in quemdam locum, quem Antri Vulcani nomine appellant, a *Sedula*, vel ſi mavis *Induſtria*, ad Padi fluminis ripam non valde diſſitum, una cum ſociis Projecto Levita, Malliano Diacono, & Natali Presbitero, tandem pervenit. Hic autem loci ſomnum capit; ſed a Natali intimo ejus familiari expergefactus (is enim Equorum excurrentium ſtrepitum audierat) hinc abſcedit. At non multum viae habuit, quum ſe Paſtoralem ſuum Baculum in praedicto Antro reliquiſſe cognovit. Quapropter ad

illum excipiendum Natalem miſit: ſed jam Pedus vireſcens, ac floridus inventus eſt: tum vero limpidiſſima ibidem manans Aqua comperta: qua de re Sancti Evaſii puteus ad praeſentem uſque diem vocari conſuevit. Occuluit porro ſe cum ſociis Evaſius ad *Sedulam*, ubi Sacram Divo Laurentio Levitae, ac martyri nuncupatam Aedem erexit. Verum enimvero non ſolum Haereſi in diem vires augente, ſed undique Diocletiani Imperatoris perſecutione in Chriſti fideles graſſante, Aſtubale Praefecto jubente, caput Evaſio obtruncatur, ſicque martyrii palma donatus eſt ſub Anno CCXCII. die prima Decembris. Septuagenariam agebat aetatem Vir pius, ac fortis, magnanimus aeque, & ad omnia pro orthodoxa Religione ſubeunda ſemper invictus, Petri ſedem tenente Pontifice Cajo, qui martyrii quoque coronam obtinuit Romae. Cruciatus, & mortem ſimiliter ab Infidelibus perpetiuntur Evaſii comites Projectus, & Mallianus, quorum Reliquias Natalis conſocius, ac divina quadam providentia ſuperſtes una cum Beati Evaſii corpore in urnam recondi curavit. Poſtmodum *Induſtrienſes* Cives Sacros Cineres in D. Laurentii praedictam Aedem repoſitos voluerunt, relicta uſque tunc columella, quae martyrii locum, ubi Evaſii caput amputatum eſt, deſignet. Duos porro fuiſſe Evaſios, Aſtenſis Eccleſiae Epiſcopos ambos, & Sanctitate claros, nemo ambigere debet, quorum primus (& hic noſter) martyrio decorus; alter Confeſſoris tantum nomine inſignis extat. Diſcrimen hoc in

medium

medium afferunt, tum Abbas Ughellus, qui Balianum arguit, quod duos Evaſios confunderet; tum Philippus Malabayla, & Paullus Britius Nobilis Albenſis; tandemque Fulgentii duo Alghiſius, & Aemilius Auguſtiniani Caſalenſes, qui omnem profecto dirimere quaeſtionem conantur. Etenim probant utrumque Evaſium extitiſſe: alterum martyrio functum ante Luitprandum Longobardorum Regem; alterum Confeſſorem dumtaxat appellatum: at ille primus; hic ſeptimus Aſtae urbis Praeſul ſedit. De Divo Martyre Evaſio ſic ſcribit praelaudatus Ughellus. *Pro Chriſti fide illuſtrem ſubiit palmam Martyrii die prima ineuntis Decembris non longe a Sedula oppido, cui poſtea de nomine Sancti Evaſii, Caſale Sancti Evaſii fecerunt.* Concordat Martyrologium Romanum ſub ipſa prima Decembris die. Item Laurentius a Sancto Petro de Beati Evaſii Epiſcopi martyrio egit. Hinc Aſtenſes, inſtaurato Templo, Inſcriptionem hanc poſuerunt, videlicet.

Malliano Diacono de Induſtria,
& Sancto Evaſio Epiſcopo Aſtenſi
Cives
in honorem Mariae Virginis; dejecto Fano
junoni dicato
Templum erexerunt,
quod temporis jactura dirutum eſt
Anno MCCCXXIII.

De Sancto Projecto Diacono Induſtrienſi, ac Beati Evaſii Diſcipulo ſcribit Ferrarius in antiquo ſuo Martyrolo-

tyrologio. *Caſali in Liguria Sancti Projecti Diaconi, & Martyris*. At de Divi Natalis Epiſcopi Evaſii Socio, nihil ex monumentis compertum eſt. Itaque non ſolum Caſalenſes Cives, ſed totius Montisferrati gentes ſacra Evaſii reliqua in Cathedrali Eccleſia, excelſoque loco in Altari marmoreis ſtatuis exquiſite ſculptis, ceteriſque epiſtiliis, & coronide extructo, repoſita venerantur, & colunt; Caſalenſis enim urbis ejuſque Diaeceſis tutelam perennem, firmumque regionis praeſidium in adverſis rebus ſinguli beneficentiſſimum Martyrem Evaſium Patronum experiuntur: ex quo certe uno, tum publica, tum privata ſalus, atque incolumitas derivatur. Hinc, & finitimi etiam populi, praeſertim Burgenſes apud Vercellas quotannis Caſale petunt, & votum perenne Divo Evaſio Martyri perſolvunt. Hiſce porro ſacris Cineribus Caſalenſis Civitas deplorabili utique Fato olim orbata eſt: at vero divina tandem ope, & ipſius Beati Evaſii munere jiſdem redintegrata. Hanc Hiſtoriae partem ita narrat Ghilinus. *Quum eſſet Civitatis Alexandrinenſis Praetor quidam Nicolaus Adingus, Alexandrinenſes foedere aſſociati cum Mediolanenſibus, Vercellenſibus, ac Derthonenſibus, Exercitus inde Summo Duce aſſumpto Thoma Sabaudiae Comite, ad ſecundam menſis Auguſti diem, Anno MCCXV. Caſalenſe Oppidum occuparunt, quod ſaevo quidem modo depopulati ſunt, neque militum ferocia in temporaneas tantum res ſe ſe convertit; quinimmo in Sanctorum Martyrum reliqua Evaſii, Natalis, atque Projecti ſe prorſus obtrudit, &*

una

una cum ingenti aliarum ſupellectilium praeda, ſacra corpora Alexandriam novam urbem tranſtulerunt. Mirum in modum de rapina laeti profecto erant; ſed de victoria male parta, ſacriſque ademptis manubiis non tam inſolenter gloriari debuiſſent. Solet enim juſtus, ac immortalis Deus, ut gravius homines ex rerum commutatione doleant, quos pro ſcelere eorum ulciſci velit, his ſecundiores interdum res, ac diuturniorem impunitatem concedere. Quapropter ſub Anno MCDIII. famigeratiſſimus Facinus Canis Caſalenſis urbe Alexandrinenſium potitus eſt, coegitque Cives ad Sacra Martyrum depoſita Evaſii, Projecti, & Natalis reſtituenda, quae in hoſtium manibus, ac poteſtate, ſine reſignandi ſpe, fuerant Annos CLXXX. Hic quidem eſt ſtrenuus Facinus Canis, ingenio, & manu promptus, ac celeberrimus Acici Praefectus, de quo Blondus, Sabellicus, & Corius verba ſplendidiſſima faciunt. Hinc Kiriander Hoeningenus, Leandri Alberti Latinus Interpres: *Facinus Canis, manu, armiſque ſtrenuus, ſua tempeſtate famam, & exiſtimationem egregii Ducis habuit*. Sacros itaque Cineres in Sancti Martini pagum transferri Facinus juſſit, ac inde poſt decimum quartum diem, ſolemni pompa in eorum antiquum, & priſtinum locum reponi mandavit. Quum autem uſque ab Anno MDXXV. Caſalis Communitas Nobile, ac decorum Altare in Cathedrali Eccleſia erigere ſtatuiſſet, in Divi Evaſii Civitatis Patroni honorem, ex voto nimirum habito, peſtiferae contagionis tem-

pore; ſub Anno MDLXIII., Proconſulibus Joanne Antonio Carretto, ex Saonae Marchionibus, & Joanne Vincentio Papalardo, interveniente urbis Caſalenſis Vicario Paulo a Valle Juriſconſulto clariſſimo; decreti ſunt pro iſtius Rei expeditione Galeottus Carrettus Principis Conſiliarius, Joannes Piccus Civitatis Commiſſarius Generalis, Faſſonus de Coniolo, Joannes Guilielmus Sannazarius, Joannes Auguſtinus Ingenierius, Dominicus Nanus, Franciſcus Bellonus, Joannes Auguſtinus Marius, ac Tomerus de Ponte, qui peritiſſimum virum Auguſtinum de Buſtis, perinſignis Mediolani Baſilicae Architectum accerſiverunt; & Opus abſolutum eſt ſub fine praedicti Anni MDLXIII. Hinc ponenda ſequens Inſcriptio erat, quae licet novam urnam, vel marmoreum innuat ſepulcrum, quod nondum extructum eſt; attamen non omittendam eam eſſe cenſemus.

Quum Beatus Evaſius Beneventanus
Epiſcopus, & Martyr,
Natali, & Projecto Sacerdotibus viris
apprime Religioſis comitantibus,
perverſi Arii presbiteri Alexandrini
dogma purgaturus adveniſſet;
hic in Sacello Divi Laurentii,
& loci, ubi lapidea Columna
erecta manet,
ab Arii Sacerdotibus capite obtruncatus eſt,
eique hujus Caſalenſis Urbis

Di-

Divino decreto Patrocinium,
& Protectio eſt demandata.
Quod quidem pientiſſimum munus
Cives acceptum ferentes
ejuſdem Martyris Oſſa, & Cineres,
hoc inſigni exornarunt ſepulcro.
Antonio Guiſcardo, & Oliverio de Capellis
Proconſulibus.
Anno ſalutis MDLXIII.
Calend. Decembr.

DE BERNARDINO THEBALDESCO ROMANO,
Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Primo.

Diſſertatio VII.

GUilielmus Paleologus, Montiſferrati Marchio XXI. & hoc nomine VI., de Caſalenſibus optime meritus, ut non tantum dilectae Sancti Evaſii Civitati quotidie decus in temporaneis rebus augeret, ſed in ſpiritalibus etiam Urbem ſingulari beneficentia illuſtriorem redderet; praemiſſo ad Summum Pontificem Romanum Fratre ſuo Theodoro Cardinali Paleologo; a Sixto IV. Papa conſequitur, ut Caſale Epiſcopali Dignitate clareſceret; quemadmodum ex litteris Apo-

ſtolicis

ſtolicis jam ſupra enunciatis apparet. Electus itaque in primum Caſalenſis Eccleſiae Antiſtitem eſt Bernardinus Thebaldeſcus, Petri filius, & ab inclyta Urſina gente inter Romanos Proceres ortus. Is Caſalenſis Baſilicae Canonicus primo adſcriptus, tum morum integritate, tum eximia virtute, & praeſtanti ſanguinis nobilitate illuſtris, incredibili exultantis Populi laetitia, Epiſcopali Infula decoratur. Quum autem aetatis ſuae annum vigeſimum nondum expleret, ſicque Sacris adhuc Ordinibus initiatus non eſſet; Romanus Pontifex, Rerum Eccleſiaſticarum in Caſalenſi urbe, ac Diaeceſi Adminiſtratorem eumdem nominat Thebaldeſcum, uti ex Diplomatibus Sixti IV. jam adductis manifeſtum eſt; donec ille ſeptimum ſupra vigeſimum abſolveret Annum. Guilielmus interim Marchio, ut pompa de hac re ſplendidior utique redderetur, acceſſitis totius Provinciae nobilibus viris, tum Praeſidibus, locorumque Magiſtratibus vocatis, qui tantae rei omnes intereſſent; curavit inſuper, ut Matthaeus de Capitaneis Novarienſis, Epiſcopus Alexandrinenſis, Chriſtophorus de Blandrate Servita, Senogalliae Antiſtes, & Joannes Jacobus Columbus de Cucaro, Bethleemi Praeſul, Caſale convenirent. Singulorum itaque facto conſeſſu, & ſilentio, praeſentibus item Guilielmo, & Bonifacio Paleologo Marchionis fratre, Armorumque Praefecto, Apoſtolicae leguntur Litterae, ab Evaſio Guiſcardo Marchionis Cancellario: quo habito, Andreas de Novellis Tridinenſis, & Eccleſiae

Caſa-

Caſalenſis Archidiaconus, Tabularum publicarum ſtipulationem fecit. Quo autem deflagraret amore, & zelo in ſuas recenter commiſſas oves piiſſimus Paſtor: quo inſuper vehementiore deſiderio percuperet, ut in primis Chriſti vera Fides, & Catholica Romana Religio in dies perfectionem ſuſciperet, ſignificari quidem verbis non poteſt. Certum enim eſt, hunc ſolertiſſimum Praeſulem una cum optimo Principe Guilielmo Marchione, egregiam ſane navaſſe operam, ut Aedes ſacrae vetuſtate, aut incuria collapſae, vel minus decenter conſtructae inſtaurarentur, vel etiam ex integro excitatae haberentur. Enimvero parum decoris ſibi eſse Paleologo videbatur, quantumvis in Politia, ac in Re militari ceteros ſui temporis ſapientes Principes, ac ſtrenuos militiae Duces facile antecelleret (utpote qui a Galeatio Maria Sfortia Mediolanenſi Duce ſub Anno MCDLXXV. Exercituum Praefectus cooptatus eſt), ſi ad ea omnia, quae ad Chriſtianam pietatem, & orthodoxam Religionem attinent, ex animo non incubuiſſet. Perennis quidem iſtius Herois memoria extabit in Caſalenſis Coenobii, ac Templi Dominicanorum inſtauratione; quamobrem ad Principis pientiſſimi exemplum permoti Cives, in hac magnifica Eccleſia, Altaria cum Imaginibus venuſto ornamento circumdatis extruxerunt. Gaudio interim praegeſtiebat Caſalenſis Clerus, quum optime agnoſceret, quam novus digniſſimus Praeſul nulli labori parceret, quam ſuae demandatae Eccleſiae, ac Diaeceſis nego-

tia,& munera ſedulus obiret, praeſtantiſſimoque Principi morem gereret. Quocirca, & ipſo Antiſtite Thebaldeſco annuente, Guilielmus voluit, ut rigoroſioris etiam Obſervantiae Regulares, & Religioſi viri Caſali moram agerent, itaut ſalutare cunctis exemplum praeberent, aliaque ad animos rite, & ſancte imbuendos ſuppeditarent. Propterea ſub Anno MCDLXXVI. Heremitani Sancti Auguſtini Fratres, Congregationis Lombardiae appellati, Sanctae Crucis Eccleſiam, & Domicilium obtinuere, Principem ad hoc ſuadente Franciſco Picco nobili Caſalenſi Auguſtiniano; quum jamdudum ab anno uſque MCCCXXVII. Auguſtiniani Ordinis Conventuales hunc locum tenuiſſent. Eamdem vero Sanctae Crucis antiquam Aedem uſque ad Annum MCCXLII. Fratres ex Humiliatorum Inſtituto poſſederunt. Moniales item ejuſdem Ordinis Sancti Marci Eccleſiam tenebant, quae deinde inſtaurata, Divo Bartholomaeo Apoſtolo dicata eſt, ibique Auguſtiniano habitu, & regula ſuſceptis, Monialium Aſſeterium rurſus firmatur. Illis quoque temporibus mulieres quaedam piae, tertii Ordinis Dominicani Inſtitutionem Caſali amplectuntur, ex quo Tertiariae Virgines dictae; impellente, pieque ſuadente Pometta de Buzzellinis: quocirca multa iiſdem impertivit privilegia Guzmani Ordinis Magiſter Generalis Leonardus de Florentia, ut ex ejus Litteris conſtat. Sub Anno MCDLXXVII. antedictae ordinis Humiliatarum Moniales, ſtrictiorem Beati Auguſtini normam,

habi-

habitumque ſuſcipiunt, illarum Antiſtita Bartholomaea de Bazanis nobili Caſalenſi annuente. Ut autem ad integerrimum Principem Guilielmum Paleologum revertamur, quum is nihil potius, quam pietatem in Deum haberet, & in pauperes ſumma quoque charitate praeſtaret, Hoſpitale ſub Sanctae Mariae Gratiarum nomine inſtituit; tum inde commodis omnibus, neceſſariiſque proventibus ſtabilivit. Mox ad Annum MCDLVIII. a Pontifice Sixto IV. impetravit, ut Noſocomio Romano Sancti Spiritus Caſalenſe hoc aggregatum eſſet, ubi infirmi pauperes curantur, & infantes expoſiti excipiuntur. Sed non tantum illis temporibus, verum etiam multo ante Guilielmus Marchio pietatis ſuae argumenta ſine dederat luculenta; ſiquidem ad Annum MCDLXXVI. (poſtquam Caſalenſis urbis ampliatum eſt vallum, muris firmioribus, & propugnaculis Civitas ipſa tuta, & communita) ſuburbanum domicilium pro religioſis fratribus Franciſcanis, vulgo Reformatis, ſeu de Strictiore Obſervantia dictis, largiter excitari juſſit, quorum Eccleſia Beatae Mariae Virginis Angelorum Numini dicata eſt. Majoris vero momenti habentur, quae inde ab hujus Principis munificentia conſecuta ſunt; nam Anno MCD LXX. ex Praedicatorum Ordine Dominicanis Fratribus extructa fuit Sacra Aedes vere magnifica, & ſplendida, tum Coenobium; ex voto ſcilicet, quod Divo Patriar-

chae Dominico Guilielmus habuerat pro ſuſcipienda prole, ſi aeterno providenti Deo ita placuiſſet, ab Eliſabetha Maria ejus ſecunda conjuge, Duciſque Mediolani ſorore. Itaque humaniſſimus Princeps ſingulari quidem in Deum, ejuſque cultum fervore accenſus (quo & univerſus Clerus, ac in primis optimus Praeſul Thebaldeſcus, aeque incendebantur) ampliſſima a Pontifice privilegia, tum Caſalenſi Baſilicae, tum Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus adipiſcitur: inter quae adducta jam, ac deſcripta translatio locorum, quae ſub Marchionatus Montisferrati temporali juriſdictione extabant, ad Caſalenſis Antiſtitis obedientiam redacta, una cum eorum territoriis, diſtrictibus, finibus, feudis, inveſtituris, praepoſituris, collegiatis, xenodochiis, noſocomiis, abbatiis, praebendis, & cujuſvis generis beneficiis. Ob cujus graviſſimae rei memoriam, elegantiſſima quidem a Benvenuto Sangeorgio Inſcriptio ſequens affertur.

Sixtus IV. Poutifex Maximus
Eccleſiae Dei, Dignitatique
Marchionum Montisferrati conſulens,
Caſale, olim vicum
ab Guilielmo Montisferrati Marchione
iu Oppidi formam redactum,
jure donavit Civitatis, & Sacris;
ex vicinis Epiſcopatibus ſumpta Diaeceſi,
ut inde Ager finitimus
leges, nundinas, forum, ceremonias

petat,

petat, habeatque.
Quod Pontificis benignitas,
immortaliſque providentia Theodori
S. R. Eccleſiae Cardinalis Sancti Theodori,
& Guilielmi Principis fraterna virtute
poſterorum honori dedit
Anno MCDXXIV. Idib. Maii,
Pontificatus ſui Anno III.

Urbs equidem Caſalenſis huic Sixto IV. Summo Pontifici beneficentiſſimo ſummopere debet, cujus a Ruvere Saonenſi Familiae germen Caſali nunc inſitum eſt, nimirum in Montaboni Marchionibus: de qua progenie illuſtriſſima meritas quidem laudes epice inſtituit nobilis, ac eruditus Comes Franciſcus Octavius Magnocavallus patritius Caſalenſis, ſumpta occaſione nuptiarum, quae celebratae ſunt a nobiliſſimis conjugibus Antonio a Ruvere, Montaboni Marchione, & Margarita Maria Liduina de Moſſis. Porro Sanctae Mariae de Lucedio Abbatem nominandi praerogativa Guilielmo Paleologo ab eodem Summo Pontifice Sixto IV. data eſt, & confirmata, & quae ad ſubſequentes ſupremos Principes uſque ad praeſentem diem defertur. Praeterea glorioſiſſimus ille Princeps, perinde ac nondum ſatis benemeritus de Caſalenſibus eſſet Civibus, amoto ordinario huius urbis Judice, qui Conſiliarius appellabatur; ampliſſimum Senatum, & ejus Supremum Praeſidem in Caſalenſi urbe denuo collocat: qua de re Sancti Evaſii Caſale, totius Montiſ-

ferrati Metropolis, ſummo ſemper decore augetur. Theodorus interim Cardinalis Paleologus praelaudatus apud ipſum Sixtum IV. Pontificem conſequitur (id quod Diſſertatione V. etiam innuimus) ut Eccleſia Paraecialis S. Mariae de Platea nuncupatae, Collegiata cum Canonicis, & Praepoſito reſidentibus conſtitueretur: in hoc certe magnanimam Guilielmi fratris pietatem aemulatus, vel etiam, ut Aulicis nonnullis ſuis, Eccleſiaſticis utpote perſonis gratus benefaceret; quibus Dignitates, & Canonicatus in praedicta Collegiata contulit, quorum nomina ab Alghiſio recenſentur. Hic enim eſt Theodorus ille Paleologus Guilielmi VI. Montiſferrati Marchionis frater, in Romano Supremorum Antiſtitum purpuratorum Collegio tum gratia, tum auctoritate pollens, qui ſub Anno MCDLXV. a Pio II. Picolomineo Pontifice Maximo Diaconus Cardinalis, titulo Sancti Theodori creatus eſt. Is tam Lucedii, quam Grazzani Abbas Commendatarius erat; cujus Generalis locum tenens Germanus de Sala reſidebat. Tunc vero temporis praelaudatus Papa Pius II. (quemadmodum Joannes Baptiſta Platina Pontificius Bibliothecarius enarrat in hujus Pontificis vita, & rebus geſtis) Sacrae Romanae Eccleſiae Cardinalibus pileum rubrum, atque galerum conceſſerat; hinc paullo poſt obtento quoque rubro indumento; Theodorus Cardinalis Paleologus primus fuit, qui ſacra condecoratus Purpura iſtis in regionibus refulſerit. Praeterea compertum utique eſt, quod ineunte ſalutis Anno

MCD.

MCDLXXXII., quum Canonici Regulares Fezulani locum Sanctae Mariae in Crea ob Bellorum furorem, ac vaſtationem deſeruiſſent, introducti ſint Fratres Servitae: tum his quoque alio demigrantibus, Canonici Regulares Lateranenſes uſque ad praeſentem diem locum adipiſcuntur: neque tam Principis aſſentientis, quam Praeſulis Thebaldeſchi annuentis pietas ſatis umquam demiranda eſt, qui unanimi certe conſenſu in omnia, & ſingula ad ſincerum Dei, Mariae Virginis, & Caelitum cultum ſpectantia pro viribus incumbebant. At proh dolor! ſequenti Anno MCDLXXXIIII. Guilielmus Paleologus praelaudatus inevitabili Fato correptus diem obiit ultimum pridie Calendas Martias, cujus corpus in Divi Franciſci Templo humatum eſt: eximia quidem laude digniſſimus Princeps, qui ſumme egregia in dies meditabatur, propria quidem liberalis Principis, atque magnanimi; qui poſt Bellum in hac Montisferrati beatiſſima regione prorſus deletum, poſt initum cum Mediolanenſi Duce foedus; poſt jampridem a Caſalenſi urbe, ac ejus ditione diram contagionem expulſam: poſt civilis odii ſaevitiem fugatam, poſt inde famem ſingulari largitate dejectam, illa omnia, quae Populorum tranquillitatem, expetitam diu pacem, concordiam, aureumque Animi otium conciliarent, exhibuit, vivenſque impertivit. Extat inter cetera iſtius nobiliſſimi Principis monumenta, naturalis Effigies, quae illius debitam excitat recordationem, in magnificae ſcalae dextero pariete Coenobii Caſalen-

ſium

ſium Dominicanorum depicta, atque locata cum hac Inſcriptione.

Guilielmus I. Marchio
Paleologus.
Cujus pietate inſigni Aedes iſtae
Divo Dominico, ejuſque Ordini
extructae;
In obſequii, gratique Animi argumentum
Imago, & memoria proponitur, ſervatur.

Hic autem Princeps (de quo commendatiſſima ſane verba Hiſtoria facit univerſa) Joanni Paleologo Fratri in dominium Montisferrati ſucceſſit; ac de utroque Marchione ita Leander Alberti Bononienſis, ex latino ejus interprete Kiriandro Hoeningeno: *joannes, & corpore venuſtus, & eloquens, ac liberalis, multiſque virtutibus ornatus fuit, qui ſine liberis decedens, ſucceſſorem habuit Guilielmum fratrem, excellenti item virtute virum, praecipueque magno Armorum robore praeſtantem. Quapropter a Scriptoribus in primis Italiae totius illorum temporum Belli Ducibus annumeratur. Confecta jam aetate, quietem capeſſens, animum, ad Religionem, ut alter Numa, & Sanctitatem convertit. Plurimum Caſalenſem Urbem auxit, moenibuſque firmis conſepſit.* At vero laudabilis Principis zelum imitatus, & in omnibus exemplum ſecutus piiſſimus Praeſul Thebaldeſcus, pro viribus credito ſibi Gregi, atque dilecto operam dabat eximiam, eidem Epiſcopo adſiſtente Bartholomaeo Carena Generali ſuo Vicario, jampridem Evaſianae Baſi-

licae

licae Canonico; hinc Andreas de Novellis hoc munus obivit, ejuſdem Eccleſiae Archidiaconus; de quo fit mentio in Erectione, ac Dotatione Capellae in Eccleſia Sancti Petri Lù ſub Anno MCDLXXVIII. Sodalitium porro Divi Michàèlis; & Sodalitium JESU, ſub Anno MCDXCIII. pietate inſignia reddebantur. Jam vero non tantum mares ex laico, & ſaeculari ordine in Dei cultum, pietatem, perſectioremque Chriſtianam Religionem Caſali in dies ferebantur; ſed & faeminae, prout devotus earum ſexus ad ſingularem Sanctimoniam ipſas induxerat. Enimvero eodem Anno Moniales ſub Divi Benedicti Regula, & habitu extra Caſalenſem urbem in loco, qui vulgo mulierum Arx appellatur, moram agebant, Sanctae Mariae Magdalenae Eccleſiam, & annexa occuparunt, ſeptumque Domicilium ſibi conſtituerunt: tum Inſtitutum, & habitum Divi Franciſci, Divaeque Clarae humiliter ſuſceperunt. Addita ſunt illis bona feudalia, a Benedictinis Monialibus ante poſſeſſa, quae cum ampliſſimis clauſulis a Margarita Paleologa Guilielmi VII. matre, Anno MDLXV. confirmata ſunt; hinc a Duce Vincentio Gonzaga, Anno MDLXXXIX., a Ferdinando, Anno MDCXX. a Carolo I., Anno MDCXXXV. recognita; & ſic deinceps uſque ad praeſens tempus rata, atque firmata. Illud autem Monaſterium, in quo Sanctimoniales antiquitus convivebant, a quodam Guilielmo, ex Alerami Saxonis nepotibus orto, ſub Anno MCLXVII. conſtructum fuit, & mox ordinis Sancti

Benedicti Virgines introductae fuere. De hoc loco fit mentio ab Aurelio Cuſano, qui modum deſcribit, quo piiſſima Matrona, Bonifacii Marchionis ſoror, ſub Anno MCCVII. in iſtud Monaſterium ingreſſa eſt, eamdem Loterio Vercellarum Epiſcopo pie dirigente. Ut vero ad zelantiſſimum Paſtorem Thebaldeſcum ſermonem noſtrum conferamus; is, egregia, a qua derivabat, proſapia, doctrinae praeſtantia, & morum in primis probitate cognita, atque perſpecta, Clerum etiam Caſalenſem, dignitate, ac nominis fama, inter ceteros Inſubriae, atque Liguriae Eccleſiaſticos coetus eminentem faciebat. Quapropter Sancti Evaſii Baſilicae Julius Papa II. ex praelaudata Saonenſi a Ruvere familia ortus, Eccleſiam Sanctae Mariae in Sancti Georgii caſtro una cum Beneficio, eidem Clero libenter addixit. At ineunte Anno MDVIII. Moniales tertii Ordinis Sancti Dominici, de quibus verba ſupra fecimus, ſacrum ſibi Receſſum, & Eccleſiam adſiſcunt, & ex ipſa Paleologorum Principum antiqua domo clauſtra ponunt, atque aedificium abſolvunt: quare unitim locatae, votis ſolemnibus adſtringuntur: ad hoc pie inſtantibus, ac laceſſentibus germanis Sororibus, Nicoletta, & Ruffina de Salmaſiis Caſalenſibus; quarum Inſtitutio, votorumque profeſſio ſub Anno MDXXIX. a Clemente VII. Mediceo aſſerta eſt. Nunc venuſtiore forma, & ſpectabili eurithmia ſacra Aedes noviter conſtructa, atque depicta cum eminentiore medio Obeliſco conſpicitur, & Sanctae Mariae Virgini ad

Coelum

Coelum Aſſumptae dicatur. Hec igitur evenerant Epiſcopi Thebaldeſchi tempore, cujus conſenſus ad hujuſmodi Opera, Chriſtianam pietatem redolentia, facilis ſane erat: qui optimus Antiſtes quum jam ſeneſceret, ſuaeque Caſalenſi Eccleſiae per triginta annos praeſideret; in Officii adminiſtratione, atque regimine Coadjutorem habuit Joannem Georgium Paleologum, de quo ſequentem Diſſertationem habebimus. Vergente autem Anno MDVI. Bernardinus de Gamberiis nobilis Caſalenſis, & Epiſcopus Cavalicenſis moritur, cujus ſepulcrum, cum inſculpta ſuperjacentis Praeſulis effigie extat in S. Evaſii Baſilica cum Inſcriptione ſequenti.

Bernardini Gamberiae
Cavalicenſis Epiſcopi,
Innocentii VIII., & Alexandri VI.
Pontificum Cubicularii, & Subdiaconi
Oſſa.
Vixit Ann. L Obiit ann. MDVI.
XIX. Novembr.

Deinde ſub Anno MDVIII. Sanctae Inquiſitionis Tribunal ad haereticam pravitatem coercendam Caſali introducitur; ac primus Inquiſitor Thomas a Tabia celebris Theologus recenſetur. Tandem aetate, mentiſque laboribus primus noſter Antiſtes Thebaldeſcus confectus, vitam cum morte commutavit Anno MDXVII. Idibus Februarii: vir quidem mirifica non tantum pietate, ſed ſcientia, atque omnimoda virtute praeditus; de quo Acta ipſa Conciſtorialia dignam faciunt

ciunt mentionem, ut Ughellus teſtatur. In Caſalenſi Cathedrali Eccleſia marmoreus extat Tumulus cum inſcriptione ſequenti.

Bernardini Thebaldeſchi
Patritii Romani
Reliqaum.
Vixit annos LXII.
XLII. Epiſcopali Inſula decoratus.
Obiit autem MDXVII.

DE JOANNE GEORGIO PALEOLOGO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Secundo.

Diſſertatio VIII.

PEtro Thebaldeſco Romano jam defuncto, Epiſcopalem Caſalenſem Sedem tenuit Joannes Georgius Paleologus, qui antea Epiſcopi primi viventis, ut ſupra innuimus, ſuffraganeus erat. De hoc autem Praeſule haec ita reponit Ughellus: *Joannes Georgius Paleologus, filius Bonifacii V. Marchionis Montisferrati, & Mariae filiae Deſpotis Serviae. Is Theodori patrui Eccleſiaſtica ſecutus veſtigia Eccleſiaſticam quoque vitam profiteri conſtituit. Lucedii opulenti Coenobii Abbas Commendatarius factus, itemque Prothonotarius Apoſtolicus, a Julio II. Summo Pontifice, Bernardino Thebaldeſco Coadiutor aſcitus*

tus eſt cum futura ſpe ſucceſſionis, *Anno MDX. XI. januarii.* Mortuo inde Guilielmo VI., Bonifacius V. Paleologus frater in Caſalenſes, & Montisferrati Provinciam dominatus eſt, qui fraternam aeque pietatem aemulatus, beneficus quoque Princeps voluit appellari: pro cujus debita, ſibique merita memoria, naturalis extat effigies illius depicta in Dominicanorum Fratrum Caſalenſi Coenobio, ad Guilielmi VI. proſpectum cum hac Inſcriptione.

Bonifacius Marchio Paleologus,
Quem Coenobium Caſalenſe
Ordinis Praedicatorum
exhibet oculis,
Guilielmi fratrem Confundatorem
piiſſimum,
mente, & corde perpetuo retinet.

Hic itaque Princeps Anno MCDLXX. in uxorem duxit Helenam Comitis Pontejurae filiam, qua paucis menſibus cum viro ſuo vitam agente, & fato ſublata, Anno MCDLXXXV. alteram ſibi nuptam habuit, Deſpotis Serviae filiam: quo anno Blanca Guilielmi VI filia Carolo Sabaudiae Duci deſpon ata eſt. His etiam temporibus Bernarda piiſſima faemina, & antedicti Guilielmi Marchionis uxor, morte corripitur, & in Paleologorum ſepulcrum conditur. Caſalenſes ergo Cives eam, quam antea conſecuti fuere a Guilielmo VI. Marchione in temporalibus, & a Thebaldeſco Praeſule in ſpiritalibus quietem, & pacem, eamdem omnino retinuerunt,

runt, ſuccedentibus Bonifacio Principe, & Joanne Georgio Antiſtite: de quorum primo ſic Leander, Hoeningeno Interprete. *Succeſſorem moriens Guilielmus cum totius populi luctu abſque liberis fratrem habuit Bonifacium jam ſenem, nulla parte prudentia, humanitate, liberalitate, ac armorum uſu inferiorem. Quapropter mutatum ideo Principem ſibi Monferratini non putavere, quamquam imago, ac ſpecies hominis (procera enim valde ſtatura erat, ac viribus par) alia ſubiiſſe videretur.* At ſollertiſſimus Paſtor Joannes Georgius, ſanguinis propagine, & morum prudentia clarus, non tantum demandatae ſibi Eccleſiae enixe indulgebat, verum etiam omnibus, & ſingulis illis rebus, quae in laicis etiam, & ſaecularibus perſonis ſpiritali progreſſui eſſe comperiſſet, operam dabat. Quapropter habitum Confratrum Divi Petri Apoſtoli inſtauravit, ac iiſdem gratias, & privilegia a Summo Pontifice impetravit. Adjunxit inſuper Eccleſiae Sanctae Mariae in loco Creae Paraecialem Eccleſiam Pontiſturae (accepta jamdudum ſub Anno MCCCXVIII. ab Epiſcopo Vercellenſi altera Serralongae Paroecia). Verum Paleologus Praeſul, quum octo annos ſuam Caſalenſem Eccleſiam rexiſſet, Epiſcopale munus reſignavit Anno MDXXV. die XII. Januarii; ut ſcilicet Dominii rebus (ſic urgente temporum neceſſitate,) curis jam Eccleſiaſticis depoſitis, melius intereſſet. Quare eodem Joanne Praeſule inſtante, promotus eſt ad Caſalenſem infulam Bernardinus Caſtellarius, de quo ſequentem Diſſertationem inſtituemus.

DE

DE BERNARDINO CASTELLARIO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Tertio.

Diſſertatio IX.

RESignata Epiſcopali dignitate a Joanne Georgio, ejuſdem Eccleſiae Antiſtes ſucceſſit Bernardinus Caſtellarius, vulgo *dalla Barba*, Civis Caſalenſis, qui per ſe poſſeſſionem inivit Anno MDXXV. Die XX VII. Februar., quo tempore Confratres S. Petri Martyris Oratorium ſibi conſtituunt, procurante Marchione Vincentio Balliano nobili Caſalenſi, apud Venetorum Rempub. Annae de Alanconio Montisferrati Regentis legato. Eodem Anno Vincentius Boverius Caſalenſis Epiſcopus Nolae, conſentiente Caſtellario, S. Mauritii Eccleſiam in finibus Gonzani conſecrat. Habuit autem Caſtellarius in ſuum Generalem Vicarium praeſtantiſs. Virum Rolandum a Valle, cui ſub Anno MDXXIX. data eſt a Clemente VII. Summo Pontifice, & commiſſa executio, ut Moniales jam Tertiariae Divi Dominici (quod ſupra innuimus) clauſtra ingrederentur, & ſolemnia emitterent vota. Hiſce porro Monialibus domos ipſas Marchionales ceſſit praelaudata Alanconia, quae Guilielmi VII. Paleologi mater fuit: cujus quidem Principis aeque ac illa Patris; & Patrui in Caſalenſes Beneficentia manifeſtatur: quocirca liberalitatem

tem ipſorum lapis marmoreus praebet, ubi ad Caſalenſis Eccleſiae Dominicanorum Portam a latere dextro, ſic legitur Inſcriptio.

Voti compotes effecti,
ac prole, qua caruerant, divino munere
ſuſcepta,
Guilielmus, Bonifaciuſque
Montisferrati Marchiones,
Templum, Xenodochiumque
Fratrum pie degentium
Divo Dominico deprecatori,
Praedicatorum Inſtitutori
dedicarunt;
Quod Guilielmus VII. Marchio
abſolvit
Anno a Virginis partu MDVI.

Interim eadem Anna Alauconia regente, ſub Anno MDXXVIII. Fratres regulares Carmelitae, qui Mantuanae Congregationis dicuntur, in Caſalis Suburbia introducti ſunt; mox illis ad praeſentem uſque diem data eſt Paroecialis Sancti Hilarii Eccleſia. Ut autem ad juniorem Guilielmum Principem ſermo rurſum habeatur; de hoc ipſo ita Kiriander, Alberti interpres. *Guilielmus, quum animi, tum corporis dotibus praeſtans fuit. Etenim & ſapientia, benignitate, magnificentiaque pollebat: ac item mirifico corporis vigore, armiſque tractandis agilitate; cujus rei ſpectabilis documenta, tam in Italia, quam Francia dedit: ludis inſuper equeſtribus perpetuo victor.*

Moritur

Moritur aetate florentiſſima: Anno MDXVIII. Filium is reliquit Bonifacium hoc nomine VI., qui fatali modo perculſus, prima ineunte aetate e vivis tollitur; de quo idem Hoeningenus ita ſcribit. *Anno MDXXX. hic Bonifacius Marchio equeſtri certamine cum alio concurrens, acerbiſſimo fato, miſeroque plane caſu, invicem impingentibus equis, & magna vi lapſis; equus, a quo vehebatur, ingenti mole ſuperincidens, praecordia juvenis rupit, ex quo animam protinus efflavit. Erat formae decorae, venuſtus, affabilis, ſplendidus, liberalis, mirifica virtutis indole, ac ſpe, praeſertim autem militari.* Poſt ejus itaque interitum Joannes Georgius Paleologus patruus, clericali veſte abdicata (ſummo Pontifice id concedente) Principatum ſuſcepit, & ad Caroli V. Imperatoris arbitrium in matrimonium ſibi jungi conſtituit Anno MDXXXIII. Juliam de Aragonia, Friderici Neapolis regis filiam, ne ſtirps Paleologa extingueretur. Verum, quum nova ſponſa ad Caſalenſem urbem appropinquaret, certior facta eſt de dubia viri ſui valetudine. Hinc, quum de Sereniſſimae Sponſae adventu nobiles Cives (inter quos Epiſcopus Caſtellarius, Dominicus Solinus Praeſul Aquenſis, Guilielmus Sancti Georgii Comes, Senatus Praeſes, Rolandus a Valle, Joannes Piccus, Carolus Montilius, Franciſcus Scotia, Baſſanus de Bazanis, & Bonifacius Graſſus celebris Juriſconſultus) laetabundi ad Marchionem ingredi percuperent, morte ademptum Principem intellexerunt: ideoque ex ejus obitu ſub Anno MDXXXIV

Paleologorum in hoc Joanne Georgio propago, quae Montisferrati dominio magna cum laude potita eſt, intercidit. Ut vero ad Caſtellarium Praeſulem ſermo traducatur; is, quum quattuor annos Caſalenſem Eccleſiam adminiſtraſſet, ab eo munere ſe abdicare contendit in gratiam Hippolyti Cardinalis Medicei, de quo poſt hanc Diſſertationem verba faciemus. Duobus tantum annis inde exactis Praeſul Caſtellarius ad Caſalenſem ſedem rediit, itemque retento ſpiritali regimine, ex Pauli III. Summi Pontificis indulto, Puteolano gregi Paſtor praeficitur, ad quem Epiſcopatum nominatus eſt a Philippo II. Hiſpaniarum rege, qui Caſtellarium Antiſtitem in paucis dilexit. Deinde poſt biennium, *ſtimulante fortaſſe conſcientia* (ut ſcribit Ughellus) ad priſtinam Caſalenſem Eccleſiam revertitur. Hinc egreſſus, & Bononienſi prolegatione egregie functus, Anno MDXLIIII. pro Sancta Sede Viterbii Gubernator efficitur, in qua urbe diem ſuum obivit ultimum: Vir utique ingenio, & ſingulari, ſagacique prudentia praeditus, ac de Apoſtolica Romana Sede benemeritus; utpotequi Anconae in Piceno Praeſes conſtitutus, ita, vel invitis Civibus perſuaſit, eoſque mollivit, ut una cum Aloyſio Gonzaga Pontificii Exercitus Praefecto, Arcem Anconitana in urbe excitari fecerit; unde ora illa maritima ab infeſtiſſimis Piratis, ipſaque Civitas tutiſſima facta eſt: tum vero tota Piceni Provincia hoc modo Romanae Pontificiae poteſtati omnino addicta; qua de re, niſi Caſtellarius morte correptus eſſet,

jam

jam ad meritam Purpuram certe perveniſſet. Quod ſi quis inconſtantem fortaſſe hominem auſus umquam ſit hunc Praeſulem appellare; ignorabit profecto neceſſarias quodammodo in hac Rerum univerſitate vices, quibus honeſtiſſimi viri (invidia, ceteriſque vitiis uni Virtuti malignantibus, atque obtrectantibus) praeſertim ſubjectari quotidie videntur. Etenim ea erat fere illorum temporum conſtitutio, & ratio, ut integra pace, ac vera tranquillitate nemo bonus in patria frui poſſet. Poſtquam autem Caſtellarius ex Philippi Regis, ut diximus, electione, Puteolanus Antiſtes cooptatus eſt, ſub Anno MDXXXIX., ac inde ad priſtinam Caſalenſem Sedem reverſus, non quidem ex animo, ſed jubente Pontifice, Bononiam petere, ibique Prolegatum agere coactus eſt. Porro ineunte Anno MDXXXVII., quo tempore Cardinalis Mediceus jam Epiſcopatum Caſalenſem reſignarat, zelantiſſimus noſter Praeſul incidit in Civium ſimultates, odia, & ſeditiones; quandoquidem inter Caeſarianos, & Gallicos ſaeva contentio, ac diſcordia interceſſerat: quamobrem Antiſtes ipſe a Pontifice Summo accerſitus, Romam profectus eſt, ſubſtituto hinc delegato Apoſtolico, qui Caſalenſis Epiſcopatus res adminiſtraret, Franciſco de Trojanis, Sanctae Mariae de Platea Praepoſito. Sed morum probitate Bernardini Epiſcopi cognita, juſſu Pontificis ad ſuam Eccleſiam laetus regreditur, ut conſtat ex Apoſtolicis Litteris Romae datis ſub Anno MDXXXVIII, in quibus non mediocre ſane, aut vulgare Elogium de

Praeſule Caſtellario reponitur. His etiam temporibus, coacti ſunt Canonici, & Clerus Caſalenſis ad Decimarum Papalium ſolutionem; ſed ope, atque praeſidio Cardinalis Triultii, praedicti Canonici, & Clerus ſaecularis eximuntur, nec amplius iiſdem attulit moleſtiam vis, ac pertinacia cujuſdam Benedicti Franchini Ferrarienſis Subcollectoris. Anno quoque, ut retulimus, MDXXXIV. a mera Philippi Regis Hiſpaniae liberalitate Puteolanum Epiſcopatum Caſtellarius adeptus eſt, ad quem ſe contulit, ut in illa feliciſſima Italicarum regione Animi pacem ſecurius foveret, neve ſuos Caſalenſes Cives odio, ne dicam miſeria, tunc abjectos videret. Certum enim eſt deploranda fuiſſe adeo tempora, ut Caſalenſis Civitas neceſſitate, ac inopia perculſa, mutuari curaverit ab Eccleſiis argentea vaſa, & in primis a Cathedrali, quae die quinta Junii Anno MDXLIV. argentea ſua ſupellectilia commodavit urbi, Joanne Vincentio Guiſcardo Proconſule, tum Conrado Mola, Evaſio Bellono, Joanne Jacobo Guiſcardo, Marco Antonio de Ponte, Joanne Antonio Bazano, & Vincentio Carena Conſiliariis. Hoc eodem anno fulmen e Coelo delapſum eſt in magnam Turrim, quae (referente Alghiſio) firmata erat in Sancti Evaſii Templi medio, jamdudum ad Luitprandi Regis tempora conſtructa, & magnifico columnarum, ac feneſtrarum ordine excitata. Haec inde ſub Anno MDCXXXV. diruta prorſus eſt, ob ruinam pernicioſiſſimam, quae majori Baſilicae minitabatur. Itaque de

Ber-

Bernardini Caſtellarii perſona, ac ejus geſtis nonniſi laudes inſtitui debent. Illum namque commendant ſui Caſalenſes Cives, commendant Romani, Anconitani, Puteolani, Bononienſes, ac Viterbienſes, apud quos ſingulos gratiſſimus, & aequiſſimus fuit: laudant denique ſuimet integerrimi mores, & ſanctiſſima, quam profitebatur, innocentia eumdem exornat: poſtremo ſingularis ejus animi fortitudo, qua omnia adverſa conſtanter pertulit, jugiter ipſum concelebrabit. Deceſſit Epiſcopus Caſtellarius, ut innuimus, Viterbii Anno MDXLVI die XXVII. Junii, ibique corpus humatum eſt. Hujus Praeſulis Vicarius Generalis invenitur Ludovicus a Turre; ut conſtat in Inveſtitura conceſſa Joanni Auguſtino, & Fratribus de Turre ſub Anno MDXLV.

DE HIPPOLYTO MEDICEO FLORENTINO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Quarto

Diſſertatio X.

Hippolytus Cardinalis ex Mediceo ſanguine Florentiae ortus, reſignante eidem Epiſcopatum, ut ſupra diximus, Bernardino Praeſule Caſtellario, una cum Bonifacio VI. Paleologo Venetiis diſcedens, Caſale

ſale advenit, hujuſque Eccleſiae poſſeſſionem ſuſcepit Anno MDXXIX. die XV. menſis Novembris. Ibi autem ſpiritalium rerum gubernium duos tantum annos habuit; ſiquidem Anno MDXXXI. eidem Bernardino Caſtellario denuo Gregem antea ſibi creditum detulit. Praeſul autem ille Mediceus progenie nobilis, ac virtutibus ſane illuſtris in Cardinalem Diaconum ſub titulo Sanctae Praxedis creatur (referente Onuphrio Panvinio) a Summo Pontifice Clemente VII., Avenioni jampridem Archiepiſcopus; mox Montisregalis item Archipraeſul conſtituitur; tandemque titulo commutato, Sancti Laurentii in Damaſo Diaconus Cardinalis nuncupatur. Quod autem ad Caſalenſis Urbis, ac Montisferrati ſaeculare dominium attinet, jam in Italia Paleologorum Principum ſtirps extincta erat, ac ultimus Marchio Joannes Georgius ſupremum diem ſuum, ut ſupradictum eſt, clauſit, cujus corpus in Eccleſiae Conventualium Franciſcanorum Choro reconditur. Noſtris temporibus Fratres Minores religioſiſſimi Caſalenſes, ut recordationis debitae monumentum erga beneficos Principes perenne firmarent, marmoreum lapidem egregie ſculptum cum Paleologorum trophaeis, inſigniis, ac ſtemmate reponi curarunt cum hac Inſcriptione.

Hic jacent Oſſa
Bonifacii, & Guilielmi,
necnon Bonifacii junioris,
& joannis Georgii

Mar-

Decima.
Marchionum Montiſferrati,
in quorum obſequium
Fratres Conventus
hunc novum lapidem poſuerunt
Anno MDCCXIX.
XXIX. Auguſti.

Interea ſub Anno MDXXXIV. Carolus V. Imperator, quum in Italia, ac praeſertim in Inſubria ingentes militum copias haberet, ſibi Montemferratum vindicavit, ac totius Provinciae Praeſidem conſtituit Alphonſum de Leva Hiſpanum, qui Caſali, tamquam in Metropoli urbe per tres fere annos ſedit. Anno deinde MDXXXVI. Montisferrati dominium obtinet Federicus Dux Mantuae primus (ut Agnellus enarrat), cujus erat Margarita Paleologa uxor, quo etiam tempore Caſalenſis Civitas ampliſſimis Privilegiis a praelaudato Carolo V. Imperatore inſignitur, ac totius Montisferrati caput efficitur, ut Leander Alberti ſcribit. Itaque Federicus Gonzaga Genua diſceſſit (ibi enim forte aderat) ut ad hujus uberrimae Provinciae regimen illico proficiſceretur. At vero Gallorum militum interventu (maximae nempe inter Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum I. Francorum Regem contentiones interceſſerant) Caſale obſeſſum, captumque eſt. Poſtmodum Avali ſtrenui Ducis virtute, ac robore Urbs reſtituitur, non ſine Gallorum, & Germanorum cruento conflictu, & multa caede; in quo praelio occubuit inter alios aciei Duces Hieronymus Mendocia, de quo vi-

ro

ro armis praeclaro in Caſalenſi Divi Dominici Templo Inſcriptio haec legitur.

D. Hieronymus ex Mendocia Familia
Nobilis Hiſpanus,
Inter ceteros Duces armis ſtrenuus
Sub Carolo V. Imperatore militans,
dum in certamine Caſalis
viriliter pugnat,
Ictu ferrei lapidis jacti
Sorte percuſſus occumbens
hic ſubhumari humiliter maluit
Anno MDXXXVI.
XXIII. Novem.

Paratis itaque rebus omnibus, populiſque acclamantibus, ad hujus ſtatus poſſeſſionem pervenit Federicus die XXVIII. Novembris eodem Anno MDXXXVI., ac Principatum ſuſcepit cum omnibus, & ſingulis praerogativis, quae tum ab Alerami Saxonis nepotibus, tum a Paleologis habitae ſunt. Illis autem temporibus Epiſcopus Caſtellarius Romae commorabatur, ut ſupra expoſuimus; & cognita ejuſdem animi integritate, Caſalenſi Eccleſiae reſtituitur, & a cunctis bonis commendatur. De Cardinali Mediceo Praeſule hic loci non multa reponimus, ob exiguum ſane tempus, quo Caſalenſem ſedem Epiſcopus occupavit, nova facta reſignatione Bernardino Antiſtiti Caſtellario, de quo jam ſupra locuti ſumus.

DE BERNARDINO DE CRUCE MEDIOLANENSI

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Quinto.

Diſſertatio XI.

HAbito de optimi Praeſulis Bernardini Caſtellarii in Viterbienſi urbe obitu infauſto nuncio, Caſalenſis Cathedralis Eccleſiae Canonici, ut in ſede vacante fieri ſolet, Ludovicum a Turre Juriſconſultum, Sancti Evaſii Canonicum, ac defuncti Epiſcopi Caſtellarii locumtenentem, in Capitularem Vicarium eligunt. Anno autem MDXLVI. Caſalenſis Eccleſiae Antiſtes a Paulo III. Summo Pontifice deſignatur Bernardinus de Cruce Ripae Sancti Vitalis Mediolanenſis, intimi Romani Pontificis Cubicularius, & Sancti Petri Baſilicae Canonicus. Anno ut ſupra, die XXVI. Menſis Maii Epiſcopali Dignitate inſignitur, ſedisque poſſeſſionem accepit die XX. Junii. Duos dumtaxat annos cum demandato ſibi Grege Paſtor moram egit; nam Caſalenſem Eccleſiam reſignavit, ut in Aſtenſi urbe Praeſul ſederet: poſtmodum Novocomenſi Infula decoratur. Abbas Ughellus de hoc Antiſtite ſic ſcribit. *Bernardinus de Cruce a Ripa Sancti Vitalis Mediolanenſis, tranſlatus eſt ad Epiſcopatum Aſtenſem Anno MDXLVIII die XXVII. Aprilis. Ad Novocomenſem Eccleſiam Anno MDL.*

M *die*

die XXIV. Septembris. Sed etiam ab illo gravi munere poſt novem, vel decem annos, a Summo Pontifice miſſione impetrata, Romam proficiſcitur, ubi mortem obivit Anno MDLXVI. die XV. Menſis Auguſti: ac ſepultus eſt in Vaticana Baſilica ante Sacellum Sanctae Mariae vulgo *de Succurſu*, quod de proprio dotatum, ſuae Gentis jus eſſe teſtamento mandavit. Ad ejus Tumulum hujuſmodi legitur Inſcriptio.

Bernardinus de Cruce
Mediolanenſis,
Olim Pauli III. Pontificis Maximi
ab arcano Cubicularius,
Vaticanae Baſilicae Canonicus,
Novocomenſis Epiſcopus;
Dum ſe cogitat moriturum,
Hanc ſibi Tumbam condidit
Anno aetatis ſuae LXIV.
Humanae Salutis MDLXVI.
M. H. N. M. S.

Exiguum vero tempus, quo Bernardinus Praeſul Caſalenſem Eccleſiam adminiſtravit, non ſinit plura de ipſo nos facere verba: quare ad ſextum Antiſtitem deſcendamus.

DE FRANZINO MICHELIO SIPONTINO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Sexto.

Diſſertatio XII.

URbis Caſalenſis Praeſul ſucceſſit Franzinus Michelius de Siponto, jampridem Epiſcopus Marſicanus, Anno MDXLVIIII. die XIIII. Julii, quo tempore (ut ſupra poſuimus) Bernardinus de Cruce Caſalenſem Epiſcopatum reſignavit, ut ad Aſtenſem ſedem demigraret. In hac poſſeſſione Franzinus firmatur die VII. ſequentis Menſis Auguſti. Calamitoſis autem temporibus Michelius Antiſtes Caſale advenerat; ideoque non ea pompa, qua non tantum Clerus, & nobiles Cives, ſed & Principes ipſi novo electo Epiſcopo occurrere ſolebant, in Caſalenſem Civitatem receptus eſt. Ante Franzini cooptationem, hoc eſt Anno MDXLVI. Oecumenicum Tridentinum Concilium celebrari coeptum eſt: contagionis cauſſa Bononiam inde tranſlatum: hinc Mantuam; Tridenti denique, ubi initium habuit, optatiſſimum finem cognovit, ingenti ſane, ac mirifico Chriſtianae Religionis, & orthodoxae Fidei commodo, atque incremento. Illis quidem temporibus Franciſcus Gonzaga Mantuae Dux in Caſalenſes dominabatur, primogenitus filius Federici, quem progenuit Franciſcus Gonzaga poſtremus Mantuae Mar-

chio, & Iſabella Atteſtina. Is Mantuae Dux primus a Carolo V. Imperatore jam declaratus, octo tantum ſupra decem annos agebat, quum Montisferrati dominium obtinuit. Moritur Anno MDXL· Itaque tutoribus (ex Scipionis Agnelli hiſtoria) Duciſſa Margarita, Hercule, & Ferrante Gonzaga Mamirolii exiſtentibus, inivit inde Montisferrati regimen Franciſcus Dux, qui Anno MDXLIX. in matrimonium duxit Catharinam Auſtriacam: ſed intempeſtiva morte raptus, ſub Anno MDL., nulloque filio relicto, quem e conjuge ſuſcepiſſet, ſucceſſorem habuit fratrem ſuum Guilielmum, ac Federici ſecundogenitum. Hoc eodem Anno Franzinus Epiſcopus, egregia ejus indole, ſingulari doctrina, atque prudentia ſatis perſpecta, a Summo Pontifice Romanae Urbis Gubernator decernitur. Quapropter ad Caſalenſis Eccleſiae ſedem non amplius revertit. Eo munere functus, & ad Herculem Ferrariae Ducem profectus, ſupremus, intimuſque illius Principis Conſiliarius, ac Miniſter eligitur: tandemque Ferrariae moritur Anno MDLV., & in Divi Franciſci Templo reconditur; ad cujus ſepulcrum ſequens legitur Epitaphium.

Franzino Michelio
Epiſcopo Caſalenſi,
Pontificiis, Regiiſque Magiſtratibus
honorifice geſtis:
tum demum Romae Gubernatori,
ac poſtremo a ſecretis
Herculis IV. Ducis Ferrariae

Michael

Michael F. Michael P.

De hoc autem Praeſule ſermo prolixior inſtitui non poteſt, quum paucos annos, & abſens, Caſalenſem Eccleſiam ipſe rexiſſet.

DE SCIPIONE ATTESTINO FERRARIENSI

Caſalenſis Eccleſiae Fpiſcopo Septimo.

Diſſertatio XIII.

POſtquam diſceſſit Franzinus Michelius Antiſtes, ſuo nomine Caſalenſem regebat Eccleſiam Ludovicus de Turre, qui tam Caſtellarii, & Bernardini de Cruce, quam Michelii Generalis Vicarius fuit, ac eo ſane tempore, quo tota Montisferrati Provincia, & Caſale ipſum tum ab hoſtibus Gallis regionem devaſtantibus, tum a Caeſarianis quoque amicis armis undique, igne, excurſionibus, ac univerſa depopulatione affligebatur. Quamvis tamen deploranda illorum temporum ratio intercederet, commendatiſſima Caſalenſium Civium vere chriſtiana pietas cognoſcebatur. Quamobrem Confratres Jeſu tunc temporis ſuum Oratorium in meliorem formam, atque ſtructuram redegerunt, locatis Choro ſedibus ad pſallendum accommodatis

datis, necnon Altari poſita de Chriſti circumciſione Tabula, quam celebris Bernardinus Laninus Vercellenſis depinxit. Haec ſane in Res ſpiritales hominum vel laicorum propenſio, Caſalenſem Urbem ex hac parte ſplendidam quoque reddidit, quum poſthabitis, atq; contemptis turbulentiſſimis Belli, aliorumq; Infortuniorum viciſſitudinibus, ad Dei cultum, & Religionem fervidiſſime Caſalenſes incumberent. Hinc eſt, quod Anno MDXLI. Confratres item Sanctiſſimi Sacramenti in Cathedrali Eccleſia locum habentes, a Summo Pontifice Paulo III. conſequuntur, ut Romano Sanctae Mariae ſupra Minervam Sodalitio aggregentur. Haec fortaſſe tenuia, atque minuta nimis, tum vero Eccleſiaſtica gravi Hiſtoria non adeo digna, cuippiam, qui niſi heroica legere adamarit, fortaſſe videbuntur; verumtamen, ne ipſum lateat, ex moleſtiſſima Armorum vi ſaepe proſternatas gentes, ea interdum, quae ad Catholicae Religionis, ac Pietatis erga Deum perfectionem attinent, vel omittere, vel omnino aliquando deſerere coactos eſſe: quod quidem in hoc pio, ac devoto Caſalenſi populo numquam accidiſſe comperimus: quinimmo, quo aerumnae, plagaeque ſuam exercere vim, ac furorem valuerunt, eo amplius ſumma quidem Religio, & ſincera fides in illis effloruit. *Ita*que defuncto Franzino, in ejus locum ſufficitur a Summo Pontifice Scipio Atteſtinus, Cathedralis Ferrarienſis Canonicus, ſub Anno MDLVI. die IV. Julii, & ad ſedis Epiſcopalis poſſeſſionem venit die XXI. ejuſdem

men-

menſis, & Anni cum ſolemni pompa, nobilique comitatu in Urbem hanc receptus eſt, una cum Joanne Baptiſta Balliano nobili Caſalenſi, qui Roma diſcedens a Pontifice Paullo IV. (huic enim is valde familiaris erat) Baſilicae Evaſianae Canonicus deſignatur. At praeter rem non erit, aliqua etiam hic loci recenſere, quae hiſtoricam hanc noſtram Epitomen nonnihil augere poſſint, nec tamen a ſuſcepta ſemita divertere. Nam praeterquam illuſtrium etiam Scriptorum auctoritas afferatur, Rerum optima ratio, & concinnus ordo poſtulat, ut neceſſariis alioquin Digreſſionibus Narrationem hanc exornemus. Itaque ſub Anno MDLVII. Duce Carolo Coſſaeo Briſſacco, ut Caſalenſis Urbs melius oppugnaretur a Gallorum copiis, Fratrum Carmelitarum domicilium, quod in ſuburbiis erat, dirutum eſt; quamobrem ab Epiſcopo zelantiſſimo Scipione (conſentientibus item Canonicis, & Sancti Evaſii Capitulo) Religioſi Fratres praedicti obtinuerunt, ut ſibi ipſis Divi Hilarii Epiſcopi Pictavienſis Eccleſia in Caſalenſi Urbe reſignaretur: quae tunc temporis Paroecialis titulo inſigniebatur, regebaturque a Franciſco Zerbo Cathedralis Canonico, ut ex litteris Epiſcopalibus conſtat. Suborta tamen controverſia inter Carmelitas, & praedictum Paroeciae Sancti Hilarii Rectorem, qui Eccleſiam hanc Gabriello de Ferrariis jam reſignarat; cauſſa Romam perlata eſt, & jus ipſis Fratribus Carmelitis ex Pii IV. Pontificis ſententia ſtetit, annuente quoque Gonzaga Duce, ut Alghiſius enarrat. Praeterea ſub

Anno

Anno MDLVIII., quum Bellorum cauſſa Fratrum Minorum Divi Franciſci, qui de Obſervantia nuncupantur, ſuburbanum Coenobium dirueretur; mendicantes illi Religioſi Caſale recipiuntur, & Sacra Aedes Divo Antonio Abbati dicata iiſdem datur; hinc Domus cum horto adnexa, hanc elargiente illius Eccleſiae Praepoſito, nobili viro Antonio Montilio, qui quum inexorabili Fato ſublatus eſſet, a Romano Pontifice alter Praepoſitus ſufficitur Ludovicus Sartius Ferrarienſis; qui tamen (ad id amice, ac humane impellente Epiſcopo Atteſtino, Civibusque annuentibus) ſuadetur idem novus Praepoſitus deſignatus ad faciendam aeque piam reſignationem, a Praedeceſſore ſuo jam impertitam: expeditioque nullo negotio obtenta eſt, quemadmodum ex ſummi Pontificis Bulla apparet. Eodem Anno MDLVIII. Scipio Praeſul jus Paroeciae, quod Sancti Stephani Eccleſia poſſidebat, Cathedrali Sancti Evaſii addixit. At ſubſequenti Anno MDLIX., qui memorabilis, ac Faſtis dignus efficitur, quo videlicet tempore in Cambracenſi Urbe rata, ac firmata eſt Pax inter Europae Principes; Monsſerratus multos jam annos (referente Ludovico ab Eccleſia) taeterrimum proeliorum theatrum Duci Gonzagae, ut par erat, reſtituitur. Quare meritis, ac dignitate Guilielmi Gonzagae recognitis, ab Hiſpaniarum Rege filia eidem in Uxorem datur: diſcedente cum Militum cohortibus Duce *la Motta*, qui pro Gallorum Rege Montisſerrati provinciam violenter tenebat. Ut verò ad noſtrum Epiſcopum Atteſti-

teſti-

teſtinum ſermo iterum convertatur; comperimus, nullum alium Caſalenſem Epiſcopum praeter hunc Tridentino Concilio interfuiſſe: iccirco inter Pauli IV. Epiſcopos in illo venerabili coetu ſedentes Caſalenſis Antiſtes ille habetur. Huic etiam tantorum totius univerſalis Eccleſiae Patrum ampliſſimo, ac ſapientiſſimo conſeſſui Apoſtolicus Legatus, tamquam Concilii Praefectus erat Hercules Gonzaga, Presbiter Cardinalis, titulo Sanctae Mariae Novae, qui flebili Chriſtiani orbis jactura, atque omnium moerore obiit Tridenti. Interfuit etiam illi Oecumenicae Synodo Marcus Antonius Bobba Caſalenſis, Epiſcopus Auguſtae Salaſſorum, Ducis Sabaudiae jampridem Orator, poſtea Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalis creatus, cujus praeſtantiſſimi viri ſingularis doctrina, & ſumma prudentia ſeque, & Patriam celebrem fecerant: Senator antea Regius; hinc Pinerolii, Suſarum, & Caramagnae Abbas. At vero de noſtro Epiſcopo Atteſtino ita ſcribit Ughellus: *Scipio Eſtenſis Ferrariae Canonicus, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopus creatus eſt Anno MDLVI. die IV. Menſis julii. Solemni pompa iniit poſſeſſionem die XXI. ejuſdem Menſis, & anni. Sedit autem Annos XII. Mortuus eſt apud Saxolum nobile Mutinenſis Ditionis oppidum, nobiliſſimae gentis Piae haereditarium.* Sed quamvis ab hoc diſertiſſimo Scriptore habeatur, Scipionem hunc Praeſulem Saxoli diem obiiſſe ultimum; attamen ex monumentis, quae in Cathedralis Caſalenſis Archivio aſſervantur, piiſſimum iſtum deceſiſſe Antiſtitem ſatis conſtat Caſali ſub an-

no MDLXVII. die XII. menſis Julii, hora XXII., & honorifico, ſplendidoque funere ejuſdem Corpus in Caſalenſem Baſilicam humatum ad XV. ejuſdem Menſis Julii diem. Habetur item ex ipſis Archivii praedicti memoriis, Sacro Divi Evaſii Sacello non exigui pretii Pontificales proprios Apparatus ſe ex legato donaſſe. Poſt Ludovicum de Turre, Atteſtini Praeſulis Generalis locum tenens fuit Franciſcus Coconatus Ordinis Sancti Franciſci, Sacrae Theologiae Doctor, ac nobilis Caſalenſis. Is Curiae Epiſcopalis Generalis Vicarius habetur ex Conceſſione ab ipſo facta cuidam Joanni Mariae de Vareſio, ut erigere poſſet Aediculam in finibus Montiscalvi ſub Anno MDLVIII. die XXII. menſis Septembris. Item quidam Cloverius juris utriuſque Doctor Caſalenſis, Scipionis Epiſcopi Vicarius Generalis invenitur, ex permiſſione ab ipſo conceſſa Laelio de Sancto Georgio alienandi Prati portionem ſuper finibus Caſalis ultra flumen Padum ſub Anno MDLIX. In alio inſuper Decreto Epiſcopalis Curiae Vicarius dicitur; quod Decretum ab ipſo emanatum eſt pro Parochianis Caſtelletti Merlorum ſub Anno MDLX. Quae quidem omnia ab antiquo M S. Epiſcopalis Archivii adnotatum eſt.

DE

DE AMBROSIO ALDEGATTO MANTUANO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Octavo.

Diſſertatio XIV.

POſt Scipionem Atteſtinum ſequitur Caſalenſis Gregis zelantiſſimus Paſtor Ambroſius Aldegattus, praeclariſſimi Ordinis Sancti Dominici germen, celebriſque in theologica Facultate Profeſſor, qui Guilielmo Mantuae Duce deſignante, ac eligente ſub Anno MDLXVII. die III. menſis Septembris, dum Mantuani Coenobii Prior eſſet, a Summo Pontifice in Templo Sanctae Mariae ſupra Minervam Romae conſecratur Epiſcopus, ac die XXVI. ejuſdem menſis poſſeſſionem Sedis recepit. Tantae autem virtutis, atque exiſtimationis apud Sanctiſſimum Chriſti Vicarium Pium V. erat, ut eidem Antiſtiti proneptem ſuam Ghisleriam commendatam vellet; iccirco in Divae Catharinae Caſalenſe Monaſterium ipſam incluſit. Interim piiſſimus Praeſul Aldegattus creditam ſibi Eccleſiam, ac Diaeceſim ſummopere adamabat, huic curae indulgens una cum Vicario ſuo Generali Andrea Cernola juris utriuſque Doctore, & Sancti Candidi de Moriſengo Praepoſito. Quapropter Diaeceſanam Synodum inſtituit, & celebrandam indixit: quae ſolemni pompa, ac ritu incohata eſt Anno MDLXVIII. die XXVIII.

 Aprilis

Aprilis: quo quidem tempore (ut refert Doneſmundus) Margaritae Paleologae, ac Ducis Guilielmi Mantuani matris, Mantuam corpus translatum eſt. Multa profecto, & quae a ſingulari probitate, ſanctimonia, ac pietate proficiſcerentur, Caſalenſis Clerus, itemque Cives omnes ab Antiſtite optimo Aldegatto expectaſſent, ſi paullo amplius ſuperſtes fuiſſet; vix enim tres annos Caſalenſis Eccleſiae Praeſul amantiſſimus vixit. De hoc autem digniſſimo Epiſcopo ſic Abbas Ughellus reponit. *Frater Ambroſius Aldegattus Mantuanus Ordinis Sancti Dominici inſignis Theologus, Guilielmo Duce Mantuae deprecante, hanc eamdem Caſalenſem ſedem aſſecutus eſt Anno MDLXVII., die III. Menſis Septembris. Die XXVI. ejuſdem Menſis iniit poſſeſſionem. Ibidem fato ceſſit die XVIII. Menſis Aprilis MDLXX.* Funebri apparatu, ſolemnique pompa exequiae factae ſunt in magnifico Caſalenſium Dominicanorum Templo, ibique ejus corpus humatum, & in ſepulcro ad januae majoris ingreſſum reconditum cum lapide ſuperpoſito, & verſicolore marmore conſtructo, ſine inſcriptione, ſed cum Aldegattae gentis utrinque Inſigniis, & Epiſcopali Inſula locatis. Hic autem meritiſſimus Praeſul primus fuit, qui Tridentini Concilii Decreta, ac Reformata, a Caſalenſi Clero, ac Diaeceſi obſervanda enixe curaverit: cujus Sanctae Conſtitutiones ad hanc praeſentem diem habentur, ac religioſe tenentur. Aldegatto ſucceſſit alter Guzmani Ordinis alumnus, de quo in ſequenti Diſſertatione agemus.

DE

DE BENEDICTO HERBA MANTUANO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Nono.

Diſſertatio XV.

UT Caſalenſem Gregem nimis cita Aldegatti Paſtoris amiſſio non adeo moerore percelleret; Beatiſſimus Pontifex Maximus Pius V. Ghislerius Bononienſis ad hanc Sedem evexit Anno MDLXX. die XVI. Menſis Junii Benedictum Herbam Mantuanum, eaque humilitate praeditum, ut renuens, ac invitus Epiſcopalem Dignitatem acciperet. Ille Sancti Dominici Inſtitutum, habitumque adoleſcens profeſſus eſt; tum ampliſſimae Guzmanae Familiae muneribus egregie functus, haereticae pravitatis graviſſimus Inquiſitor Mantuae habetur. Itaque Obedientia compulſus, Pontifici Romano Sanctiſſimo paruit, ſuoque Principi integerrimo morem geſſit. Narrat hoc Duneſmundus: *Quum poſt Aldegatti obitum Mantuae Dux varios ſingulari Doctrina, ac probitate viros repraeſentaret, Summus Pontifex Pius V. dixit, Celſitudinem ſuam Fratris Herbae, Mantuae Inquiſitoris oblitum eſſe; qui ceterorum meritis minime cederet.* Is ergo electus, & infula decoratus, nihil in demandatae ſibi Eccleſiae adminiſtratione viſus eſt omiſiſſe, quod optimum redoleret Antiſtitem, ac vigilantiſſimum deceret cuſtodem: quare (ut verbis Ughel-

Ughelli utar) *ad Tridentini Concilii cotem Clerum habuit egregie inſtitutum*. Inter cetera ſuum Populum Chriſtiana Doctrina rite imbuendum curavit; hinc Parochos ad id potiſſimum deſignatos compulit: & ne exemplo ſuo tantum opus negligeret, plerumque ipſemet parvulos, idiotaſve Cathechiſmo familiari inſtruxit: adultos autem, litteriſve informatos in arcanorum Fidei myſteriorum perfectiore cognitione erudivit. Feſtis porro diebus e ſuggeſto, fervidiſſimis habitis concionibus, Caſalenſes Cives ad ſingularem in Deum, ac vere Catholicam pietatem excolebat. Sacras Aedes conſtrui fecit, vel ipſe inſtauravit: pupillos, viduaſque eleemoſinis juvit, ac Montis Pietatis adverſus Judaeorum deteſtandum foenus exorſus eſt. Benedictum hunc vere Antiſtitem dilexit unice Divus Carolus Borrhomaeus, & in ſuis Provincialibus Synodis, prudenti ejus conſilio ſtetit: iccirco una ſimul divinos prope habuere ſaepe ſermones. Etenim, quum ſub Anno MDLXXI. Sanctiſſimus Pontifex Pius V. legatum Apoſtolicum miſiſſet Nepotem ſuum Cardinalem Alexandrinum, ut Franciae, Hiſpaniarum, & Portugalliae Reges foedus inirent, armaque in Turcas communes hoſtes ſuſciperent; is legatione perfunctus, & in Italiam reverſus, Caſale pertranſiit, ibique commoratus eſt; a Duce Guilielmo honorificentiſſime jam exceptus, Principem hunc comitantibus Carolo Borrhomaeo Archiepiſcopo Mediolanenſi, Franciſco Cardinali Bobba Monferratenſi, Guidone Cardinali Ferrerio Vercellarum Epiſcopo,

po, ac Leonardo Marino patritio Genuenſi, & Albae Pompejae Antiſtite. Interim ſub Anno MDLXXII. Divi Caroli praedicti opera, introducendi erant Caſale Religioſiſſimi Clerici Regulares Barnabitae, quibus deſtinabatur Eccleſia Sanctae Mariae de Platea cum annexis: cui quidem rei obſiſtentibus (ut Alghiſius refert) Praepoſito, & illius Collegiatae Capitulo, ad Romanam Curiam Cauſſa haec defertur, nihilque deinceps de Collegiata, jamdudum pro Canonicis Saecularibus firma, & rata, innovatum eſt. Eodem fere tempore Fratres ex Capuccinorum familia, de Colle, in quo habitabant ad locum Cereti, jubente Duce Guilielmo Gonzaga, demigrarunt. Illis etiam temporibus Haebreorum gentes Caſale introducuntur, quorum infandis uſuris, ut occurreret zelantiſſimus Praeſul Herba, Pietatis (ſic vulgo nuncupant) Montem, ut ſupra innuimus, erigi ſtatuit; ſed morte, ehu nimis propera, correptus, cogitata perficere nequivit. Quum inde Apoſtolicus Nuncius hac de re tam pia interceſſiſſet; Mons tandem pietatis antedictus, Pauperum commodo, atque praeſidio firmatur. Annuente porro, ac opitulante nobiliſſimo Cive Rolando a Valle, Senatus Caſalenſis Praeſide, Clerici Regulares Barnabitae, ſingularis exempli, & pietatis viri, Caſale ingrediuntur, emptiſque domibus, Oratorium ſibi conſtruunt, mox vero pulcram Eccleſiam a fundamentis excitant, ac Divo Paulo Apoſtolo, gentiumque Doctori nuncupant, quam Herba Epiſcopus conſecravit

anno

Anno MDLXXIIII., quo quidem tempore Divus Carolus Cardinalis Borrhomaeus iterum Caſale advenit, ut Apoſtolici Viſitatoris munere fungeretur: hinc zelo Pauli Mazzettae Sacerdotis Barnabitae Caſalenſis juvante, ac permovente, a praedicto Mediolanenſi Archiepiſcopo, atque Metropolitano decretum eſt, ut Doctrinae Chriſtianae Schola per eoſdem Regulares Clericos Barnabitas habenda, ac regenda Caſali inſtitueretur, cum qua Doctrinae Schola, paullo poſt a Barnabitis praelaudatis conjuncta fuit Congregatio ſolantium, & confortantium ultimo ſupplicio addictos: cujus Rei teſtimonium eſt lapis prope Divi Evaſii Baſilicam in muro poſitus cum hac Inſcriptione.

Sepulcrum Societatis
Doctrinae Chriſtianae
dumtaxat extremo ſupplicio
multatis. Anno MDLXXX.

Quod Sepulcrum alio tranſlatum eſt ſub Anno MDCXXII., uti ex lapide; & inſcriptione ad lateralem Cathedralis Eccleſiae januam apparet. At noſter digniſſimus Praeſul Herba, mirifica quidem virtute, doctrina, meritiſque apud Deum, & homines praeſtans, quum ſex annos Caſalenſis Eccleſiae gubernio praeſediſſet, pauperes, & pia loca eleemoſinis adjuviſſet, pietatis montem erigendum curaſſet, & Paroecialem Eccleſiam in loco Balzolae conſtituiſſet, e vivis exceſſit, feſto Sanctorum Innocentium die; illud ſaepe repetens in ultimo agone: *In domum Domini laetantes ibimus.*

Cun-

Cunctis carus, jucundus, & exoptatus fuit, adeout nonniſi profuſis lacrymis nobiliores Caſalenſes in ejus funere feretrum humeris extulerint. Strictiorem ſui Ordinis, ac inſtituti regulam a ſe jugiter ſervari voluit; iccirco ante, ac poſt Epiſcopalem Dignitatem, laneam ſubuculam, linteaque item lanea pro lectulo ſemper tenuit. Reconditum eſt ejus Cadaver ex ſua juſſione in Caſalenſi Divi Dominici Templo, intus ſubterraneam Arcam ad primos majoris Altaris gradus poſitam: hinc ſuper lapidem ſepulcralem Effigies conſpicitur, epiſcopali infula, pedo, & ſacris veſtibus induta, atque ornata. Nunc temporis lemma, titulus, aut Inſcriptio nullibi apparet. Hoc vero breve Epitaphium ab Ughello affertur.

Oſſa Fratris
Benedicti Herbae
Epiſcopi Caſalenſis
Ordinis Praedicatorum.

Quod quidem breve Epitaphium (ut idem Auctor ſentit) ipſe Praeſul ad ſuum tumulum locari intendit, ut certe ſuam eximiam ſic manifeſtaret humilitatem. Vixit annos LIX. obiit verò Annò MDLXXVI., die XXVIII. menſis Decembris. In MS. monumentis Fratrum Caſalenſium S. Dominici, quinimmo ab Ughello, ac Dunesmundo, Tetraſtichon ſepulcrali lapidi hujus Antiſtitis admotum recenſetur, quod eſt hujuſmodi.

Mantua quem tollit , Neptunus , Brixia , Rhenus ,
Herba dedit florem ſed canis ore virum ;
Quem Pius inſtituit Paſtoris munere fungi ;
Frigida mors umbris reddidit oſſa ſuis .

Confecit Teſtamentum ſub Anno MDLXXVI. die XXVIII. menſis Septembris : in quo Veſtes Epiſcopales , ſacros Apparatus , & vaſa argentea Cathedrali Eccleſiae Caſalenſi legavit : in omnibus autem aliis , & quibuſcumque Bonis , juribus ; & actionibus , ſibi haeredem univerſalem Caſalenſis Eccleſiae quemcumque Succeſſorem Epiſcopum inſtituit . Corpus item ſuum efferri ea pompa tantum , & minore , ſi liceret , quam Provincialia Mediolanenſis Metropolitani Concilia praeſcribunt , eodem Teſtamento mandavit . Ad hujuſmodi Chriſtianae pietatis , atque humilitatis Actiones Divus Carolus Borrhomaeus dilectiſſimum ſibi Herbam Praeſulem permovebat , qui etiam ſingulari erga Caſalenſes amore afficiebatur . Quamobrem Civem quoque Caſalenſem Hieronymum Ferragatam Ordinis heremitarum Sancti Auguſtini alumnum , inſignem Theologum , & Auguſtunenſem Epiſcopum , in Suffraganeum ſuum cooptavit , ac voluit . Sub Epiſcopo Herba quattuor ſupra decem Vicarii Foranei in Caſalenſi Diaeceſi recenſebantur , qui ſub Anno MDLXXV. die II. menſis Auguſti cum ſuis ſubjectis Parochis in Epiſcopali Curia conſtituti ſunt ; ut ex antiquo MS. Epiſcopalis Archivii adnotatur .

DE ALEXANDRO ANDREASIO MANTUANO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo.

Diſſertatio XVI.

FLorentiſſima Montisferrati Provincia majorem ſane in dies ſplendorem ſumpſerat, quum praedicti Antiſtitis Herbae temporibus, a Maximiliano II. Imperatore Ducatus titulo inſignita eſt; hinc Urbs Caſale Metropolis nuncupata, & confirmata; hinc Guilielmus Gonzaga ampliſſimis Aequalitatis cum ceteris omnibus Europae Ducibus privilegiis condecoratus. Quare ſub Anno MDLXXV. XXI. menſis Januarij, Diademate redimitur; tum vero Mantuae, ac Montisferrati Dux conſalutatur. Anno itaque MDLXXVII. die XI. menſis Maij, Alexander Andreaſius nobilis Mantuanus Caſalenſi Eccleſiae praeſidet. Is Ducis Guilielmi antedicti a ſecretis erat, jurium Civilium, & Canonicorum peritiſſimus. Plures autem legationes Romae, & Mediolani pro ſuo Principe obivit: tum Caſale venit die V. menſis Novembris, Anno ut ſupra, & a Clero ordinatim incedente in Urbem pergrandi gaudio receptus eſt. Summo Pontifice permittente, Praeſidis Senatus munus, vel Epiſcopus, gerebat; quamobrem non multum, ut idem ipſe cupierat, creditae ſuae Eccleſiae indulgere ex animo potuit: iccirco (ut Dunes-

mundus refert) optimum Epiſcopalis Curiae Vicarium reliquit. Anno MDLXXX. Sancti Evaſii Baſilica a Summo Pontifice Gregorio XIII. Bononienſi perpetuum Animarum purgantium ſuffragium obtinuit. Praeterea, quum ab Anno MDLXXV. Viſitator Apoſtolicus ab eodem Gregorio *P*ontifice Maximo in ſubalpinam regionem miſſus eſſet Hieronymus Ragazzonius Venetus, jampridem Salaminis, tum Novariae Praeſul electus, mox Bergomenſis Antiſtes aſſumptus, Eccleſiae Sancti Stephani Caſalis Paroeciae titulum reſtituit: quod jus jam antea, a Praeſule Scipione Attelino ademptum fuit Anno MDLVIII. Porro Doctrinae Congregationem viſit, quam ſollertiſſimae curae Regularium Clericorum Barnabitarum denuo commiſit, & amplam iiſdem viſendi quaecumque Chriſtianae Scholae loca (conſentiente tamen Epiſcopo) auctoritatem tribuit. Poſtquam autem Alexandrinenſem Eccleſiam luſtravit, Caſale proficiſcitur, & ad XV. Calendas Decembris ingreditur. Ipſi datum eſt pro hoſpitio Fratrum heremitarum Sancti Auguſtini Coenobium, quo tempore Praeſul Herba ab hac vita diſceſſit. Is autem zelantiſſimus Viſitator Caſalenſes Cives ad Chriſtianam Pietatem ita induxerat, atque permoverat, ut vel perſonae laicales, in Dei cultu egregium ſane fervorem oſtenderent. Quapropter Confratres, qui ex eorum vetere Inſtituto Diſciplinantes appellabantur, in Eccleſia Immaculatae Conceptionis Mariae Virginis, poſiti conſequuti ſunt, ut Archiconfraternitati Sanctiſ-

ſimae

ſimae Trinitatis Romae aggregarentur: iccirco veſte alba mutata, rubeam ſuperinduerunt. Item Confratres Jeſu Confratribus Romanis Sanctae Mariae ad Nives, quorum Societas nobiliſſima Confalonis dicitur, addicuntur. Ut vero pauliſper digrediamur; compertum utique habemus, quod ſub Anno MDLXXX. in Caſalenſi urbe moram traxerit Sanctiſſimus Adoleſcens Aloyſius Gonzaga, Societatis Jeſu ſplendidum lumen, quo tempore Ferrandus Gonzaga Caſtilioni Princeps, ejuſdem Pater, Caſalis gubernium agebat. Divi autem Aloyſii vitam erudite, ac eleganter Italica lingua praeclariſſimus, ac nobiliſſimus vir Claudius Felix Piccus Gonzaga, Uvilii Comes, & patritius Caſalenſis deſcripſit. Anno ſubſequente MDLXXXI. Iſabella Guilielmi Ducis Mantuae ſoror mortem obivit, quae Teſtamento legavit, ſuum Corpus Caſale deferri; quamobrem in ſepulcrum Annae Alanconiae, quod erat in interiori Eccleſia Monialium, vulgo Sanctae Catharinae, die XXVII. Novembris reconditur. At ineunte Anno MD LXXXIII. quum Praeſul Andreaſius per ſex annos fere abſens Eccleſiam Caſalenſem rexiſſet, ad Mantuanum Epiſcopatum ſe contulit, id expetente Guilielmo Duce, qui ſatis cognita Andreaſii virtute, probitate, atque ſapientia, illum ad ſe voluit propiorem. Abbas Ughellus de praeſtantiſſimo hoc Antiſtite ita ſcribit: *Alexander Andreaſius Mantuanus, juriſprudentia clarus, Mantuaeque Principis Secretarius, pluribuſque pro ſuo Principe egregie obitis legationibus, omnibus notus, in gratiam ejuſdem*

Prin-

Principis Caſalenſem ſedem obtinuit Anno MDLXXVII. die XI. Menſis Martii; quam ille Praeſul Eccleſiam, ab inita poſſeſſione, ſex annos magna cum Prudentiae laude adminiſtravit. Translatus itaque fuit ad Mantuanam Eccleſiam Anno ut ſupra, die IV. Novembris, & Anno ſequenti MDLXXXIV. iniit poſſeſſionem. Sub Anno MDLXXXVII. in Cathedrali Mantuae Eccleſia, Vincentio Gonzagae Ducalem Coronam impoſuit. Deceſſit Anno MDXCIIII. die XXIII. Menſis Martii: cujus Cadaver in majori Mantuana Baſilica humatum eſt.

DE AURELIO ZIBRAMONTIO MANTUANO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Undecimo.

Diſſertatio XVII.

POſt Praeſulem Andreaſium datur Caſalenſi Eccleſiae Antiſtes Aurelius Zibramontius Mantuanus, qui jampridem Guilielmi Ducis a ſecretis, Conſiliarius, & Grazzani Abbas, tum ad Aſtenſem Epiſcopatum primo aſſumptus, hanc alteram inde ſedem adeptus, Caſale ingreditur Anno MDLXXXIIII. die XIV. Novembris, quo tempore Albenſi Infula Ludovicus Michelius Mantuanus decoratur. Interim Viſitator Apoſtolicus a Romano Pontifice denuo in Lombardiae Provinciis deſigna-

ſignatur, mitciturque Carolus Montilius Caſalenſis, Viterbii Epiſcopus (referente Alghiſio), qui Caſale ingreditur Anno MDLXXXIV., & hanc univerſam Eccleſiam, quod ad Regulares etiam ſpectaret, viſit. Multa ſane pro divino Cultu ſanxit, prudenterque conſtituit; inter quae Eccleſiarum Paroecialium aequam in Civitate diſtributionem fecit: Paroecialem item pro meridionali parte Sancti Germani Eccleſiam fieri decrevit, & Paroeciae loci Balzolae totam eam partem, quae ultra Padum, ad Boream vergit, conſulto adjunxit. De Caſalenſibus Civibus hic utique Praeſul benemeritus eſt, ac Romano Pontifici pergratus extitit; qui Amalphitanus Epiſcopus cooptatus, Joannis Franciſci Cardinalis Gambarae ſuffraganeus fuit. Moritur autem Orbitelli in Etruria ſub Anno MDLXXXV., quo tempore Sixtus V. Apoſtolicam Romanam Sedem tenebat, & Franciſcus de Blandrate Caſalenſis, ex Sancti Georgii Comitibus Albae Epiſcopus enunciatur. Sub Anno MDLXXXV. Clerici Regulares Barnabitae, qui ubertimum in dies Animarum fructum piis operibus eliciebant, Sacram eorum Aedem ampliorem, cum venuſtiſſimo ad viam Proſpectu conſtruunt, cui primum admovit lapidem Praeſul Montilius Viſitator praelaudatus. Interea Guilielmus Gonzaga, Dux Mantuae, & Montisferrati moritur, & Vincentius in Dominium ſuccedit, cujus legatum Romae agebat Tullius Carrettus, de quo Diſſertatione XX. verba faciemus. Anno MDLXXXVIII. Caſale ſe contulit Dux Vincentius cum ſua conjuge

Eleonora Medicea, commoratique ſunt in aedibus Comitum de Gamberiis, quibus beneficentiſſimus Princeps antiqua eorum privilegia confirmavit. Erant his temporibus, Civitatis Gubernator Proſper Gonzaga, & Senatus Praeſes Bernardinus Scotia, Bonevillae Comes. Itaque quum Praeſul Zibramontius pro graviſſimis ſui Principis rebus Romae eſſet, e vivis diſceſſit, & in Eccleſia *Trinitatis Montium*, ut vocant, ſuum reliquum ſepeliri mandavit. De hoc ampliſſimo Antiſtite ſic Ughellus: *Aurelius Zibramontius Mantuanus Albae Pompejae antea Epiſcopus, Secretarius, Conſiliariuſque Ducis Guilielmi, ad hanc Eccleſiam translatus eſt die IV. Menſis Novembris, Anno MDLXXXIII. Romae deceſſit Anno MDLXXXIX., ſepultuſque eſt apud Sanctam Trinitatem in Monte Pincio*. De hoc etiam Praeſule dignam mentionem faciunt Duneſmundi monumenta, in quibus magni Vir conſilii commendatur; graviſſimus Senatus, ac Mantuani ſupremi Magiſtratus exhibetur Praeſes, adeo ut ipſe unus provincias regeret. Hujus Epiſcopi Vicarium eſſe comperimus Proſperum a Turre Juris utriuſque Doctorem, Prothonotarium Apoſtolicum, & Baſilicae Sancti Evaſii Praepoſitum.

DE

DE MARCO ANTONIO GONZAGA MANTUANO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Duodecimo.

Diſſertatio XVIII.

EX Principum regnantium ſtirpe ortus Marcus Antonius Gonzaga, Caſali Praeſul praeficitur poſt Aurelii Zibramontii obitum. Is erat Eccleſiae Collegiatae Sancti Andreae Mantuae Primicerius, de quo diſertiſſimus Ughellus ita ſcribit: *Marcum Antonium deinde Gonzagam Mantuanum, Sancti Andreae Primicerium Gregorius XIII. Caſalenſem adlegit Epiſcopum, Anno MDLXXXIX. die XX. Menſis Auguſti. Caſali deceſſit Anno MDCII. die VII. Menſis Maii, relatumque Mantuam ejus Cadaver, apud Sanctum Andream ſepelierunt in Sacello Sancti Longini.* Pace tamen tanti viri, celebriſque Scriptoris; non Gregorius XIII. Epiſcopum hunc Gonzagam adlegit, ſed Summus Pontifex Sixtus V. Montaltus, qui Dei Eccleſiam regebat. Quum autem iſte Caſalenſis Antiſtes tres tantum annos Diaeceſim ſibi creditam adminiſtraſſet, non multa ſane de ipſo reponimus: ideoque ad alia brevi paſſu progrediamur. Itaque ſub Anno MDXC. a Vincentio I. Mantuae, ac Montisferrati Duce, Arx munitiſſima Caſalis conſtruitur, atque firmatur; Principem ad id ſuadente Germanico Savorgnani Comite, Jacta ſunt

fundamenta cum aureis, argenteiſque Numiſmatibus, in quibus Vincentii Ducis effigies cum hoc lemmate. *Vincentius Gonzaga D. G. Dux Mantuae, & Montisferrati:* ex altera facie, novae Arcis Scenographia, & haec verba: *a fundamentis erexit MDXC.* At ſupra portam Arcis haec legebantur Carmina.

Armiſonam poſuit, quam Dux Vincentius Arcem;
Mars, Bellona ſibi, & Juppiter ipſe petit.
Regia facta Jovis: procul hinc eſtote Tiphoei;
Flammiger Ales adeſt, fulmina Olympus aget.

Hinc perſpici quidem poteſt, quanti facerent Caſalenſem hanc Urbem regnantes Principes. Ut enim Saxones Alerami nepotes ſileamus, qui antiquioris formae munimenta variis in locis poſuerunt, Paleologi ſubſequentes & muris, & propugnaculis firmam Urbem, ac tutam, ut par erat, redegerunt. Praeterea ſub anno MDLX. a Guilielmo III. Mantuae Duce (quo tempore Caſale ingreſſus eſt, & commoratus una cum Sereniſſima ejus Conjuge Eleonora Auſtriaca, Ferdinandi Imperatoris filia) parvam Arcem, quae flumen Padum reſpicit, Caſtelli nomine donatam, inſtaurari curavit: tum venuſtae quidem ſtructurae *Galleriam*, ut vocant, ſuperinduxit; tum Foſsa, & Vallo communivit: quare ſupra ejus Portam ſequens legitur Inſcriptio.

Quae Belli injuria diruta,
ac paene everſa jacebat;
Joannes Petrus Gonzaga

Arcis

Arcis Praefectus
Margaritae Paleologae Matris,
Et Guilielmi Gonzagae Filii
Ducum Mantuae & Montisferrati
Marchionum juſſu,
In hanc elegantiorem formam
erigi procuravit Anno MDLXI.

Idem porro Guilielmus III. quum hactenus Caſali moram traheret, ſub Anno MDLXX. quattuor propugnacula praedictae Arci, ſive Caſtello adjungi voluit, & amplum Plateae ſpatium, ut nunc videtur, dirutis quibuſdam vicinis Domibus, extendi juſſit. Haec amoenioris Digreſſionis cauſſa non incongrue dicenda cenſuimus; Nunc alia, quae praecipuum noſtrum reſpiciunt Inſtitutum, proſequamur,

DE SEPTIMIO BORSARIO MANTUANO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimotertio.

Diſſertatio XIX.

DEfuncto Praeſule Gonzaga, ſubſtituitur ad ejuſdem Eccleſiae, ac Diaeceſis regimen Septimius Borſarius Mantuanus, jampridem Alexanenſis Epiſcopus, mox hujus Caſalenſis Ovilis Paſtor electus Anno

MDXCII. die XII. menſis Junii. Clerici Regulares Barnabitae ſub Anno MDXCIV. ſuam extructam Eccleſiam aperiunt, Principum, Senatorum, omniumque nobilium Civium interventu. Aedis tamen Conſecratio fieri nequivit ob nimis properam Borſarii Antiſtitis mortem. Is enim poſt duos tantum annos nondum exactos, ſuum ultimum perſenſit diem, translatumque Mantuam ejus Corpus, in Templo Sancti Barnabae Fratrum Servitarum reconditur. De iſto Caſalenſi Praeſule Abbas Ughellus haec recenſet: *Septimium deinde Borſarium Mantuanum, Alexanenſem in Regno Epiſcopum, Clemens VIII. tranſtulit ad hanc ſedem Anno MDXCII. die XII. Menſis junii. Duobus tantum Annis munus Epiſcopale geſſit, memorabilique probitatis relicto exemplo, ibidem deceſſit, Anno MDXCIV. die XXIX. menſis Aprilis. Ejus corpus Mantuam translatum, apud Sanctum Barnabam Servitarum nobile Templum, illud ſepelierunt.* Quum autem Alexanenſem Eccleſiam primo rexiſſet; idem Ughellus ita reponit: *Alexanenſi Epiſcopatu Borſarius ornatus eſt die XX. Novembris, Anno MDXCI. ſedit menſes ſex, translatuſque eſt ad Caſalenſem Eccleſiam in Pedemontana Provincia.* At in hac parte clariſſimus Scriptor parum advertit, quum dicat, Caſalenſem Eccleſiam in Pedemontana Provincia conſiſtere. Etenim Caſale Sancti Evaſii, ut omnibus notum eſt, in Montisferrati Provincia Metropolis locatur.

DE

DE TULLIO CARRETTO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo quinto

Diſſertatio XX.

NImis acceleratam dictorum Praeſulum mortem Caſalenſis Clerus jamdiu deplorabat, quum Deus Optimus Maximus tantam moeſtitiam allevare voluit, ex facta electione ſpectatiſſimi viri Tullii Carretti, qui viginti, & amplius annos ſollertiſſimus Paſtor Caſalenſem ſibi commiſſum Gregem optime, ſanctiſſimeque cuſtodivit. Is itaque generis nobilitate clariſſimus, utpotequi e Carrettis Saonae Marchionibus originem duxit, Comitem Georgium Rocchaevignalis Dominum, Patrem habuit. A Clemente VIII. Aldobrandino ſub Anno MDXCIV. Epiſcopali dignitate inſignitur. Quo autem anno Caſale ingreſſus eſt, Barnabitarum Eccleſiam conſecrat, itemque cotidiana Privilegia pro expiandis Animabus purgantibus, in Caſalenſi Baſilica confirmationem obtinet; quod etiam Privilegium jam antea Franciſcanorum Conventualium Eccleſia conſecuta erat. Illis temporibus a praedicto Summo Pontifice Clemente VIII. Bernardinus Morra Caſalenſis Epiſcopus Averſanus in Campania Italiae Provincia creatur: Vir pietate inſignis, qui a Divo Carolo Borrhomaeo, Mediolanenſis Eccleſiae Generalis Vicarius co-

op-

optatus eſt: de quo Ughellus dignam mentionem facit; quamvis tamen Clavaſii in Pedemontii Finibus ortum faciat. Ad ejus tumulum in Caſalenſi Barnabitarum Eccleſia, haec habetur Inſcriptio.

Bernardini Morrae
Condomini Candiae, Caſtillioni, Cellae,
& Roſignani
Epiſcopi Averſae,
ac Fratrum, & eorum Deſcendentium
Haeredum. MDC.

Ut autem de Praeſule Carretto, tamquam Annalium ejus ratio habeatur, haec, quae ſequuntur, exponenda videntur. Sub Anno MDCIX. Populi Petrenghi, quod eſt in Bergomenſi ditione, una cum Mario de Capitaneis Paroecialis Eccleſiae Sancti Evaſii in eodem Pago Rectore, exhibitis litteris a Paulo V. Borgheſio datis, Carrettum Epiſcopum ſupplices exorarunt, ut illis aliquam Sancti Martyris Evaſii *reliquiarum* partem benigne concedere dignaretur: quorum precibus annuente humaniſſimo Antiſtite; tum Caſalenſis Baſilicae adſentientibus Canonicis; Oſſis cruris portio data eſt petentibus, & Os unum ex ſuperioribus pedis. Quapropter ad hujuſce Rei memoriam Lapis in dicta Paroeciali Eccleſia poſitus eſt cum hac Inſcriptione.

Sancti Evaſii Epiſcopi, & Martyris
Oſſa,
a Cathedrali Caſalenſi Eccleſia

Apo-

Apoſtolica auctoritate, ac ritu
Solemni tranſlata,
hoc Sacello conduntur
Die X. *Maii. Anno MDCIX.*

Interim ſub Anno MDCX. Confratres Sancti Joſeph a Praeſule Carretto Caſali inſtituuntur, caeleſtis coloris habitu ipſis aſſignato, & orphanis maribus, & faeminis in pium hunc locum introductis: cujus Oratorium ſub Anno MDCLVI. meliore quidem forma conſtruitur, & Eccleſia venuſtiſſimis ſtatuis ornata cum proſpectu ad viam externo repraeſentatur. Sacrae hujus Aedis Dedicatio ad Nonas Julias quotannis ſolemniter celebratur. Quum autem Anno MDCIX. Barbara Mazzetta Caſalenſis, ac Julia de Roveriis Aſtenſis Carretto Antiſtiti humiliter exponerent, quatenus Monialium Capuccinarum Inſtitutum Caſali amplecti cuperent; obtinuit piiſſimus Praeſul a Mantuae Duce regnante locum in platea Arci proxima, quae vulgo dicitur *Ala*: quo in loco ſibi conſtruxerunt Aedes, poſueruntque ad Monaſterium clauſtra: pro qua fabrica bis mille aureos praedictae mulieres libenter contribuerunt. Quamobrem Ducalis Chyrographus emanatus eſt Anno MDCIX. die XV. menſis Martii, & ad XXI. Aprilis Epiſcopus Carrettus proceram Crucem ligneam infixit, menſeque Junio primum lapidem poſuit. Quum autem Carrettus Epiſcopus Romam profectus eſſet ob Apotheoſim Beati Caroli Borrhomaei, relictis piae illius fabricae adminiſtratoribus, Joanne Paulo Picco, An-

tonio Prato, ac Antonio Guaſco, a Summo Pontifice impetravit, ut duae Moniales educerentur ad Caſalenſium recentium Capuccinarum Inſtitutionem. Itaque Caſale reverſus, videnſque praedicti novi Monaſterii conſtructionem ad ſuum fere terminum proceſſiſſe; diem conſtituit, quo Moniales candidatae ingrederentur; qui dies fuit XXIIII. Septembris, glorioſiſſimo Martyri Divo Mauritio dicatus. Hinc eorum conſtructae Eccleſiae Benedictionem impertiit, Divaeque Clarae Aſſiſienſi Aedem hanc ſacram nuncupavit. Receptae ſunt in hoc Aſſeterium primae, Conſtantia Boveria Aſtenſis, Catharina Stanca de Valentia, Olympia Malveſtita, & Catharina de Marematis Caſalenſes: Antonia Ferranda ab Arce Grimaldorum; Anna Guaſca Alexandrinenſis; & pro earum *Converſa* (ut ajunt) Magdalena Crivella de Montilio. Conſentiente autem Cardinali Federico Borrhomeo Mediolanenſi Archiepiſcopo, a Monaſterio Capuccinarnm Sancti Andreae Mediolani translatae ſunt ad recens Caſale Domicilium Religioſiſſimae Faeminae, Euſraſia Baleonia, ac Hieronyma de Homatis, quas comitatae ſunt Hieronyma Carretta Lonata, Praeſulis Soror, & Joanna ejuſdem Carretae nurus: itemque Coſmas Lonatus, Dominicus Homatus, & Caeſar Milleſantius, Sanctae Mariae Scalae Canonicus, earumque Monialium Confeſſarius. Caſale ingreſſae Religioſae Mulieres, ab Epiſcopo receptae ſunt, & ad novum Monaſterium perductae. Deinde a Sancti Bartholomaei Aſſeterio, ubi morabantur interim

candi-

candidatae Capuccinae, acceptaeque Virgines ſupra recenſitae, nova clauſtra ingrediuntur; omnium nobilium Civium interventu; ac ipſius Vincentii Ducis, Principis Franciſci, atque Infantae Margaritae praeſentia. Item Anno MDCXLI. quum Princeps Doria in Genuenſi Urbe Monaſterium ſub Spiritus Sancti nomine erigendum cuperet, in quod Virgines ſub Inſtituto, ac habitu Divi Dominici introirent; Sanctitatis fama, qua Divae Catharinae Moniales Caſalenſes praeſtabant, valde permotus, a Romano Pontifice obtinuit, ut a praedicto Caſalis Monaſterio, quattuor pietate inſignes Moniales emitterentur. Fuerunt autem, ſanguinis nobilitate, morumque probitate illuſtres, Clara Catharina Tizzonia Vercellenſis, Antonia Margarita Picca Caſalenſis, Paula, & Angela de Quirinis Civitatis Cherii in Pedemontio: quae Genuam profectae Guzmani ordinis Aſſeterium inſtituunt. At ſingulari Antiſtitis Carretti exemplo, non tantum faeminae, ſed multo magis viri in Eccleſiaſtica Diſciplina praeſtabant. Etenim ex Caſalenſi Clero Presbiteri eximia ſanctimonia praediti, illis temporibus Sancti Philippi Nerii Florentini Congregationem, quae *Oratorii* appellatur, fundari excupierunt, eos ad tantum opus ſuaviter impellente Tullio Carretto Epiſcopo. Siquidem Fratris Hyacinthi Nattae Caſalenſis, ex Capuccinorum familia religioſiſſimi viri, ope, & conſilio, Clerum *reformare* Praeſul ſtuderet; in Epiſcopatus aedibus nonnullos Saeculares Sacerdotes locavit, adeout opportune in pium aliquem Receſſum

unanimiter irent. Vixerant ergo per aliquod temporis ſpatium una cum Epiſcopo Carretto, quaſi eorum Socio, probatiſſimi Viri; quum Henricus Natta patritius Caſalenſis, & Sancti Joannis Hieroſolomitani nobiliſſimus Eques, domum ab Octavio de Marematis emerit, ex qua propriis impenſis Oratorium ſub Immaculatae Conceptionis Mariae Numine conſtrui fecit. Quare ſub anno MDCXIII. a Praeſule Carretto Benedictione luſtratum eſt, ſacrumque primum ab ipſo celebratum. Hunc locum praelaudati Presbiteri pro ſpiritalibus exercitiis ſibi addixerunt; & quum Divi Philippi Nerii commendatiſſimum ſuſcipere Inſtitutum vellent; idem Vir praeſtantiſſimus Eques Natta alteram emit Domum, Oratorio proximam, in quam Philippini introducti ſunt: quorum Praepoſitus primus unanimi voto Joannes Dominicus Sabionus cooptatus eſt. Sed & alia perenni quidem memoriae tradenda Praeſul Carrettus moliebatur. Etenim ſub Anno MDCIII. Paroecialem Eccleſiam in Arce Caſalis inſtituit, quae a S. Evaſii Baſilica dependeret. Hoc etiam tempore Robeti, ſeu Corni loco datur Paroecialis Eccleſia cum eadem dependentia, ut ſupra. Anno MDCIV. Virginum S. Urſulae nuncupatarum Inſtitutum Caſali inchoatum eſt, & in propriis Domibus (quum nondum haberent commune Collegium) Moniales degebant. Tempore autem progrediente, domum cum Oratorio D. Urſulae dicato ſibi adſciverunt, noſtriſque diebus in choro pſallentes, ſine tamen rigoroſa clauſura, ſolemnibuſque votis inſimul congregantur.

Anno

Anno MDCVII. Fratres Conventuales Franciſcani in ſua Caſalenſi Eccleſia Sodalitium Confratrum Funiculi inſtituunt, & a Paulo V. Borgheſio Summo Pontifice ampliſſimas Indulgentias conſequuntur. Interea devaſtantibus undique militum copiis Caſalenſem Ditionem, necnon Montemferratum univerſum; huc, & illuc Gallis, Hiſpanis, Sabaudiſque turmis agros, pagoſque depraedantibus; optimi tamen Praeſulis Carretti fervor prope Caeleſtis non eſt diminutus; uſquedum annis gravis ſe ad vitae ſuae terminum eſſe cognovit: Epiſcopus certe inter Caſalenſes Praeſules Sanctiſſimus, angelicis ferme moribus praeditus, ac Divo Carolo Borrhomaeo, aetate nondum provecta, admodum familiaris, & jucundus: qua de re illius piiſſimi Archiepiſcopi, atque Metropolitani ſui exempla, & veſtigia omnino ſecutus, ſumme ſollicitum pro Clero, ac Diaeceſi ſibi credita in diem ſe praebuit. Luculentum profecto de ſingulari ſua humanitate ſpecimen dedit, quum ſub Anno MDXCVIII. peſtiferam contagionem, Provinciarum Sabaudiae, Pedemontii, Liguriae, Inſubriae, ac Montisferrati Populi experirentur: quo tempore invictiſſimus Praeſul Carrettus eximiam pietatem exercuit, infirmis adſiſtendo, ac ſtrenue navando reliqua, quae ſollertiſſimum Paſtorem decent; neque id ſatis eſſe perſenſerat: iccirco de proprio Patrimonio frequentes eleemoſinas elargitus eſt, quibus pauperes, ac pupillos in publicis praeſertim calamitatibus ſolaretur, & aleret. Feliciore autem tempore, zelum non reliquit ſuum pro animarum

ſalute: quapropter, vel ad Confeſſiones audiendas ſe diu objecit, vel conciones publicas in ſuggeſto pias aeque, ac eruditas pluries confecit. Enimvero paſtorales ejuſdem extant ſermones in lucem editi, in quibus Praeſulis hujus, tum Doctrina, tum ſingularis in Caſalenſes Cives propenſio evidenter apparet. De hoc magnanimo Antiſtite ita ſcribit Ughellus: *Tullius Carrettus, patria Caſalenſis ex Marchionibus Saonae, Georgii filius ex Dominis Rochae Vignalis ſucceſſit Anno MDXCIV. die XIII. Menſis junii. Viginti omnino annos ex ea ſede jus dixit, ibidemque ſenſus exuit mortalitatis Anno MDCIV. die XIII. menſis Octobris, ſepultuſque eſt apud Moniales Capuccinas*. Adeſt in harum Monialium Eccleſia ſepulcrum ejus, cocto latere compactum, quod mirificam illius Praeſulis oſtendit humilitatem, ac parieti proximo ſuperpoſita Inſcriptio ſequens legitur.

Tullii Carretti Epiſcopi Caſalenſis,
Sanguinis nobilitate, ſanctitate,
ac humilitate celeberrimi,
cujus ſumma diligentia, ac munificentia
hoc Monaſterium devote ſtruxit,
hic Oſſa humilis Tumulus
humiliter tegit.
Obiit die XIII. Octobr. An. MDCXIV.

Plures e Carrettorum ſtirpe Viri, Eccleſiaſtica dignitate clariſſimi provenerunt: inter quos Ludovicus Caſalenſis, Epiſcopus Cantuariae; hinc Turonenſis Archipraeſul; hinc Rhemenſis: tandem Sacrae Romanae Eccle-

ſiae Cardinalis. Deinde Ambroſius, & Bonifacius Caſalenſes, Epiſcopi Saonae; Bernardinus Antiſtes Albae Pompejae: Damianus Praeſul Albengae in Liguria; Franciſcus Sancti Quintini Abbas, poſteaque Albenſis Epiſcopus: Matthaeus Carrettus Albengae item Epiſcopus, & in Tridentino Concilio pro Mediolani Duce Philippo Maria Vicecomite Orator: Orlandus Carrettus Archiepiſcopus Avenionenſis: Palamedes Epiſcopus Cavalicenſis, Paulus Antiſtes Canturcenſis, quem Franciſcus I. Galliarum Rex in paucis diligebat. Itaque Caſalenſis Civitas ob tantorum Praeſulum nobilitatem, & Sanctimoniam illuſtrior reddebatur, addito quoque aliorum Civium ſplendore, quum nempe ad Annum MDC. praeſtantiſſimos, atque ampliſſimos Melitenſes plures Equites ea recenſeret; inter quos Cruce inſigniti erant Alexander Natta, Camillus Calorius, Carolus Buſca, Dominicus Vallarius, Fulvius Sannazarius, Jacobus Pallius, Joannes Richardus Calorius, Joannes Georgius, & Horatius Mola, Guilielmus Montilius, Guilielmus Scotia, Horatius Langoſcus, Hortenſius Calorius, Nicolaus, & Octavianus Carrettus, Themiſtocles Montilius, Jacobus, ac Theodorus Balianus. Hic autem adnotari juvat, quod ſub Anno MDCXIV. praedictorum Caſalenſium major pars Equitum in Feſto Corporis Chriſti alba ſuperinduti veſte incedebant: ob cujus rei exemplum commendatiſſimus provenit uſus, ut in Corporis Chriſti ſupplicatione (interveniente Epiſcopo, qui Auguſtiſſimum Altaris Sacra-

cramentum in Oſtenſorio poſitum manibus geſtat) ex Patritiorum tantum, eorumque antiquiorum coetu, Caſalenſes albo ſerico veſtitu Damaſceno induantur, atque Tectorii Sacri fulcra invicem alii ſuſtentent, faceſve cereas in manu alii teneant. At vero ſub Anno MDXCVI. inter Caſalenſes Eccleſiaſticos eminebat quoque Joannes Sangeorgius de Blandrate. Is Nurciae; poſt Camerini Praeſes; mox Provinciarum Bononiae, Umbriae, Romandiolae, & Piceni Prolegatus fuit; hinc Aquenſis Epiſcopus cooptatus: deinum Sacrae Romanae Eccleſiae Cardinalis a Clemente VIII. creatur, & Epiſcopus Faventinus eligitur. In Cathedrali Eccleſia Faventiae hujus graviſſimi, ac de Romana Sede optime meriti Viri ſequens extat Epitaphium.

Sepulcrum Epiſcoporum Faventinorum,
ſibi, & Succeſſoribus erectum
De mandato Joannis Franciſci
ex Comitibus Blandratae, & S. Georgii,
S. R. E. Cardinalis S. Clementis;
Cujus Corpus hic jacet.
Obiit XIV. Kal. Auguſt. An. MDCV.
Vixit An. LX. Menſ. III. Dies XIV.

Anno item MDXCVII. Camillus Beccius Caſalenſis, Canonicus Regularis Lateranenſis, ac Generalis Abbas illius Ordinis, Vir quidem litteratiſſimus, ad Epiſcopalem Aquenſem ſedem evehitur. Praeſule Carretto vivente, Equitum Ordo, Redemptoris appellatus, ſub Anno MDCVIII. Mantuae inſtituitur, quem Paulus

V.

V. Pontifex maximus approbavit, et confirmavit. Inter nobiliores Proceres inſignitus eſt Cruce Guidus Sangeorgius Caſalenſis, & illius Equeſtris novi Ordinis Cancellarius; item Annibal Ibertus Caſalenſis eadem Cruce, & habitu condecoratur. Redditur quoque celebre Carretti Praeſulis tempus, & Gonzagae propagini glorioſum; quandoquidem ad Annum MDCV., ſatis, ſuperque perſpecta probiſſimi, ac nobiliſſimi Adoleſcentis Aloyſii Gonzagae, praeclariſſimae Societatis Jeſu alumni, ſingulari Sanctitate, miraculorumqne frequentia; ejus Corpus, quod in Sanctiſſimae Annuntiatae Collegii Romani Eccleſia poſitum erat, ſolemni pompa in majori ejuſdem Eccleſiae ſacello transfertur. Hinc ſub Anno MDClX. a Paulo V. ſummo Pontifice inter Beatos recenſetur; noſtris vero temporibus, nimirum ſub Anno MDCCXXV. Benedictus Papa XIII. Urſinus, Guzmani Ordinis alumnus, Apotheoſi donavit; ac inter Sanctos publice Aloyſius colitur, adoratur.

DE SCIPIONE PASCHALIO CONSENTINO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimoquinto

Diſſertatio XXI.

OB Carretti ſpectatiſimi Praeſulis obitum, Caſalenſes Cives multas, atque diuturnas effuderunt lacry-

crymas; etenim morte perculſus eſt amantiſſimus eorum Antiſtes, dum ſolatio cunctis eſſet in Bellorum aerumnis, quibus miſerrime Caſalenſis Civitas, ejuſque Ditio excruciabatur. Caſalis tunc gubernio praeſidebat Alphonſus Avalus de Aragonia, qui Margaritae Ducis Franciſci Gonzagae Uxori, ac Principis haereditarii Franciſci Mariae Tutrici in Caſalenſi regimine ſucceſſit; quum a Regali Madritii Urbe revertitur Scipio Paſchalius Conſentinus, utriuſque Signaturae Referendarius. Inſtante, ac petente Philippo III. Hiſpaniarum rege, qui Paſchalii merita rependere amabat, addita ſimul Cardinalis Gonzagae commendatione, ad XII. Januarii, Anno MDCXV. Caſalenſis Praeſul eligitur; Vir prudentia, atque Doctrina clariſſimus, de quo Ughellus hujuſmodi ſpeciale Elogium format, & exhibet. *Scipio Paſchalius nobilis Conſentinus, animi, ingeniique virtute clarus, & varia Eruditione notus, diu in Romana Curia non ſine laude verſatus, utriuſque Signaturae Referendarius fuit, Ferdinandi Gonzagae Cardinali, & Mantuae Duci in primis charus, pro quo apud Philippum III. Hiſpaniarum Regem Oratoris munere defunctus, eoque poſcente ad hanc Caſalenſem ſedem aſſumptus eſt.* Profecto illis calamitoſis temporibus non alio ſpiritali, ac humaniſſimo Patre opus erat, cujus eximia virtus, ac ſingularis probitas, Civibus, & Diaeceſanis ſolamen praeberet in anguſtiis, in quibus ob elapſum, nec ſatis deletum praeliorum furorem verſabantur, & ob ingentes ad novum conflictum ap-

para-

paratus. Quum autem diſcordes Presbiterorum animos intelligeret, qui Divi Philippi Nerii Oratorium Caſali inſtituerunt, paterno quidem zelo eoſdem compeſcuit, atque conciliavit: hinc laudatiſſimo eorum Inſtituto denuo rato, atque ſirmato, in Praepoſitum Antonium Appianum rarae pietatis virum elegit. Optimis inde exemplis, & omnium commendatione florebant, quum ſub Anno MDCXXV. Summus Pontifex Urbanus VIII. rurſum Oratorii Inſtitutionem confirmavit, iis Sacerdotibus elargiendo, quae gaudent privilegia Presbiteri Philippini Eccleſiae Novae in Urbe Roma. Praeterea ſub Anno MDCXVII. Andreas Triviſius Monferrinus de Occimiano, jampridem Bruxellis in Belgio clariſſimus Medicinae Profeſſor, ex Principis regnantis beneplacito, & conſentiente Fratrum heremitanorum Sancti Auguſtini Congregationis Lombardiae Definitorio, ex Decreto die XIX. menſis Julii emanato, propriis ſumptibus nobile Collegium in dictorum Fratrum domibus, Conventui proximis, Caſali erexit. Itaque hic loci ſeptem Adoleſcentes convictores degebant cum duobus Scientiarum, ac Artium Profeſſoribus, & a praelaudato Triviſio neceſſariis proventibus datis, ut ſinguli alerentur, & commode habitarenr, & in ſtudia incumberent. Quare a Bruxellarum urbe accerſiti ſunt Ambroſius Bocchius, & Gabriel Methmannus Auguſtiniani, apertumque Gymnaſium die IX. menſis Novembris ſub tutela, ac numine Divi Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis, Ordinis Heremitani. His adjunctus eſt Ni-

colaus a Fontanilio, linguae Graecae, & Haebraicae peritiſſimus, optimus Mathematicus, ac celebris Theologus: itemque Auguſtinianus alter Adeodatus Verdenſis a Cavatore, una cum Camillo Angelo Rovillario Caſalenſi, Theologiae Profeſſore. Extat hujuſmodi Litterarii Collegii monumentum, Poetica nempe quaedam latine exarata, ſub Anno MDCXVI. Typis commiſſa, in Libro, cui titulus: *Votum publicum Sereniſſimo Principi Ferdinando Duci Mantuae VI., & Montisferrati IV. factum*. Illis enim temporibus Montisferrati Provincia a Ferdinando Cardinali Gonzaga, Franciſci Principis Mantuae Tutore regebatur; qui ſub Anno MDC XVII. Caſale ingreditur, Senatus Praeſide ſedente Comite Guidone Avellano, ac Senatoribus exiſtentibus Trajano Guiſcardo, Alexandro Griſella, Franciſco Faventia, Franciſco Guaita, Evandro Civalerio, & Joanne Paulo Zampolo. At vero reſignata Cardinalitia Purpura, Ferdinandus in uxorem duxit Magni Ducis Etruriae ſororem. Anno autem MDCXVIII. viſum eſt poſt Bellorum tenebras expetitae jamdiu Pacis tandem affulſiſſe lumen; nam Europeorum Principum concordia invicem facta, ſingulis Italiae Proceribus redduntur quae ſua erant jura; hinc Mantuae, ac Montisferrati Dux, jam Alba Pompeja occupata, in ſuorum Statuum integram poſſeſſionem pervenit. Ut vero ad noſtrum Antiſtitem Paſcalium revertamur; is profecto cunctis gratus, ac perjucundus ob ejus morum ſuavitatem habebatur. Hujus autem Generalis locumtenens, Baſi-

licae

licae Sancti Evaſii Praepoſitus erat, qui Praeſulis vice Eccleſiam, quae *Miſericordiae* appellatur, ſacris ceremoniis luſtravit, ibique primum ſacrum ab ipſo celebratum eſt. Nunc temporis Infirmorum Xenodochium, a Nobilibus Viris rectum hic loci habetur; quum jam ſub praedicto anno MDCXVIII. alii piiſſimi Viri ſibi Oratorium in D. Dominici platea excitarint; quinimmo uſque ab anno MDXXVIII. ad opem atque praeſidium miſerabilibus perſonis ferendum, ſub Virginis Mariae, Miſericordiae Matris clementiſſimae, Invocatione ſe homines congregarunt, & in Sanctae Mariae de Platea Collegiata Eccleſia conveniebant. At ineunte Anno MDCXXII. Beatus Philippus Nerius, Congregationis Oratorii primus Auctor, ab Urbano VIII. Barberino inter Divos relatus eſt; quapropter Presbiteri Philippini Caſalenſes piiſſimi feſtivam eximii gaudii ſignificationem per plures dies dedere. Anno MDCXXIII. amplioris Eccleſiae fabricam Caſali inierunt: quare Paſcalius Epiſcopus eorum conatus commendans, ac fovens, eumdem comitante Cathedralis Eccleſiae Capitulo, itemque Sanctae Mariae de Platea Canonicis intervenientibus, primum lapidem poſuit. Anno tandem ſubſequente MDCXXIV., ille zelantiſſimus Paſtor populum Caſalenſem ſibi creditum relinquere coactus eſt, inexorabili fato perculſus: de quo ſollertiſſimus Ughellus in ſuperadducto Elogio ita ſequitur; *Novem omnino annos Eccleſiam ſalutaribus Inſtitutis rexit, fatoque functus eſt Anno MDCXXIV.* Fuit vere pius, inſigniſque Doctrina Epiſcopus; quum Hi-

ſtoriam (referente eodem Ughello) de Bello, quod Carolus Emmanuel I. Sabaudiae Dux celeberrimus in Monteferrato geſſit ſub Anno MDCXIII., erudite conſcripſit: de qua Belli ratione latinam quoque Narrationem, ſed non adeo caſtigatam Antonius Poſſevinus Junior Mantuanus inſtituit. Quare Paſcalius Antiſtes a litteraria Republica plurimi ducebatur; & a Jano Nicio Erithraeo inter illuſtres Viros meritis quidem laudibus concelebratur; quinimmo a Gaſpare Scioppio de veteris, ac novae Grammaticae latinae origine ſic habetur: *Hunc quidem certe artis noſtrae fructum huic aetati ſententia ſua non dubie deſpondebat Scipio Paſcalius Caſalenſis Epiſcopus, Vir haebraice, & graece non mediocriter, latine vero praecipue doctus, & cum primis Italiae luminibus numerandus; qui quoad vixit, mihi gratiam habere numquam deſtitit, quod opera mea ſe a timore illo vindicaſſem, quo prius manum ſibi, quoties ſcribere latine aggreſſus erat, contremiſcere ſenſiſſet.*

DE SCIPIONE AGNELLO MANTUANO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo ſexto

Diſſertatio XXII.

PAſcalio Praeſuli ſucceſſit Scipio Agnellus nobilis Mantuanus, de quo parum diſſerit Abbas Ughellus, qui tunc temporis vivebat, ac de totius Italiae, Inſularum-

rumque adjacentium Epiſcopis laborioſam concinnabat Hiſtoriam. Hoc igitur pacto de Agnello Antiſtite ſuo contemporaneo Ughellus refert: *Scipio Agnellus Mantuanus, Lepidi, Hieronymaeque Pomeriae Saonenſis filius, ab Urbano VIII. adlectus eſt Epiſcopus Caſalenſis Anno MDCXXIV. die XXIV. Menſis Februarii. Vivit adhuc...* Hic autem Praeſul ſumma prudentia, rerumque humanarum politia praeditus fuit: quamobrem a Carolo I. Mantuae Duce miſſus eſt Legatus ad Hiſpaniarum Regem in magni quidem momenti rebus, ad quarum exitum fauſte habendum non potis fuit induſtria Rethelenſis Ducis, & Vincentii Agnelli Epiſcopi Mantuani, qui antecedenter legati fuere. Quo autem tempore noſter Agnellus aberat; ſub Anno MDCXXVIII. Philippinorum Eccleſia, quum nimis Caſalenſi Arci proxima eſſet, diruitur: quae tamen ad conſtructionis novae terminum nondum redigebatur, ut refert Alghiſius. Interim Anno MDC XXVIII. poſt Vincentii II. Mantuae, & Montisferrati Ducis obitum, in horum Statuum dominium ſucceſſit Carolus Gonzaga Dux Nivernenſis, qui e Galliis, ubi perdiu Domum, familiamque fixerat, Mantuam profectus, poſſeſſionem iniit die XVII. Menſis Januarii ejuſdem Anni: e cujus Principis progenie ſubſequentes Mantuani regnantes Duces, uſque ad poſtremum Carolum Ferdinandum, ortum duxerunt. At vero vertentibus An. MDCXXIX., & MDCXXX. Caſalenſes Cives, ac totius Montisferrati populi tam peſtifera contagione, quam taeterrima bellorum rabie percellebantur; qua-

propter

propter Caſalenſis Urbs plures obſidiones paſſa eſt, quarum memoriam quidam Lapis oſtendit, in Caſalenſi Divi Dominici Templo repoſitus cum hac Inſcriptione.

V. C. Ludovico de Deo, Comit. Petragor.
Gallo Nobiliſſimo,
Chriſtianiſſimi Regis
Militum Tribuno; forti, prudenti, pio,
Nec proeliis, nec vitiis victo:
Qui militarem tumultum
In ſecunda Caſalenſi obſidione
ſedaturus,
a ſuis clade caeſus.
Coenobium D. Dominico in Patria
ponendum mandavit;
PP. hoc Monumentum
Grati animi ergo praebuere.
Obijt XXIV. Februar. An. Sal. MDCXXX.

Inſuper Anno MDCXXXIII., quum militum excurſiones, aliaque id genus moleſtiſſima ferre amplius nequirent Capuccini Fratres, qui extra Urbem degebant, Caſale introducuntur: ac interim iis aſſignata fuit Domus apud Sancti Michaelis Aedem, in qua pſallebant. Mox ipſis dono dedit Mantuae Dux antiquum Civitatis Noſocomium, quod Lazaretum dicebatur, ſitumque juxta Portam, tunc *della Rocca* appellatam, & cum vetuſti eorum Domicilii (quod dirui placuit) coementis ac lignis, Clauſtrale ſibi commodius, atque ma-

magnificentius conſtruunt, excitata nova inſuper Eccleſia, quam Divo Ludovico Regi nuncuparunt. Communis eſt opinio, hanc urbanam recentem Capuccinorum Aedem, & Conventum, propriis Galliarum Regis Ludovici XIII. impenſis, extructa eſſe, ex eo quod Gallorum copiae, ut impedimenta ad oppugnandam Caſalenſem Arcem, & Urbem tollerent, hoſpitium quoque illud ſuburbanum religioſum diruerent. Attamen pro certo habetur, Civium pietatem magno huic Aedificio momento fuiſſe: ut ex Inſcriptione ſupra Portam dictae Eccleſiae, quae eſt hujuſmodi.

Chriſtianiſſimo, & Invictiſſimo
Francorum Regi
Sancto Ludovico
Caſalenſium pietate Templum iſtud,
& Monaſterium dicatum ſurrexit
Anno Domini MDCXXXIII.

Majus Altare a Comite Joanne Baptiſta Careſana Caſalenſi poſitum eſt cum Tabula, a celebri Sarezana Genuenſi depicta: Altarium autem lateralium alterum nobilis Vir Marchio Joannes Gozanus cum Divi Felicis de Cantalicio imagine locavit: alterum cum depictis affabre Divi Antonii Patavini, ac Divi Caroli Borrhomaei effigiebus, Franciſcus Antonius Riccius erexit. Sed quamvis Praeſul Agnellus, ut ſupra innuimus, vel invitus, a ſibi commiſſo Grege fere abeſſet; ad hanc tamen Diaeceſim regendam prudentiſ-

ſimum

ſimum, ac optimum virum Antonium Gaſpar donum Vicarium ſuum Generalem ſuffecit: de quo in Barnabitarum Actis fit mentio, quum Aperitioni Sanctae Domus Lauretanae, in Caſalenſi Divi Pauli Aede constructae, interfuerit Anno MDCXLV. Harum vero Aedicularum, Sacrae Domui Lauretanae omnino ſimilium, Auctor fuit venerabilis vir Dalmatius Loterius Barnabita Caſalenſis. Interea ſub Anno praedicto MDCXXXIII., Felix Crova Franciſcanus Conventualis Caſalenſis, ac magni nominis Theologus, celebriſque Concionator, Aquenſis Praeſul eligitur. Anno MDCXXXVIIII. praeſtantiſſimus Carolus Bobba Caſalenſis, & Sancti Joannis Morianae in Sabaudia Epiſcopus moritur. Anno MDCLXVI. Divae Catharinae Moniales, quum Velum nigrum, quo caput, ſcapulaſque tegerent, minime haberent, hoc indumentum, quo magis decorae incederent, obtinuerunt; quare a Magiſtro Dominicanorum Provinciali, Joanne Vincentio Moraeno velum illud recipiunt; cujus rei confirmationem conſecutae ſunt a Guzmani Ordinis Magiſtro Generali, ut ex ejus litteris ſatis apparet. Anno MDCXLVIII. Antonius Barberinus ampliſſimus Sacrae Romanae Eccleſiae Cardinalis Caſale petiit, ibique aliquod tempus moram egit, cui a Galliarum Rege pro ejuſdem tutela Caſtellum datur, uſque dum humanae ſortis tunc infauſtae vices proſperis, atque ſecundis rebus locum cederent. Obviam Purpurato Principi iverunt Comes Antonius Gamberia

ria a ſupremo Conſilio miſſus: hinc Marchio Bonifacius Faſſatus, Armorum Montisferrati Praefectus, & Arcis, detinebatur; ideoque poſt Ecbonae diſceſſu, Caſalenſis Urbis gubernio ſucceſſit Mompenſatus, ut Alghiſius refert. Suborto tamen in Italia tumultu, ac populorum defectione nata in odium Mazzarini Cardinalis; Gallicae turmae a Montisferrati Provincia, habita prius pagorum, ac oppidorum populatione, deceſſerunt. Illis etiam temporibus a regiis Adminiſtris Antiſtes Agnellus a Caſalis Urbe arcebatur, ſed in patriam Terram demigrantibus Gallis, ad ſuam Epiſcopalem ſedem anno MDCLI. revertit: qui paci, quietique animi addictus, dum Eccleſiae ſuae Sponſae poſt tot diſcrimina rerum conſulere ſtatuit, ultimo Fato corripitur. Vir quidem in Litteraria Republica clariſſimus, inſignis Theologus, optimus Canoniſta, diſertus Orator, Poeta, ac Hiſtoricus: utpotequi Hiſtoriam Mantuanam politiſſimo italico ſtylo conſcripſit, ac inter alia opera eruditiſſimum volumen concinnavit, cui Titulus: *Virgo juxta Crucem*, quo in Libro Sacrae Scripturae, Conciliorum, & Sanctorum Patrum auctoritate innixus, de ſingulis Beatiſſimae Virginis Mariae laudibus, ac privilegiis mirum in modum ratiocinatur. Praeter argentea vaſa, ſacroſque Apparatus ad Epiſcoporum Caſalenſium uſum Bibliothecam non adeo voluminibus frequentem, ſed lectiſſimis antiquioribus bonarum Artium Libris, politiſque editionibus diſtributam reliquit. Huic ergo doctiſſimo, eruditiſſimo, ac de Civibus Ca-

ſalenſibus optime merito Praeſuli, quum is in Terris egregiam ſui nominis famam adeptus ſit, aeternam in Caelis gloriam a ſummo Deo precamur. Quod vero ad regnantes Gonzagas Principes attinet; primis Antiſtitis Agnelli temporibus, ſecuta eſt mors Ducis Ferdinandi, ultimi ex italicis Gonzagis: idcirco Caſali celebratae ſunt Exequiae, funebriſque Oratio habita a clariſſimo Viro Paulo Antonio Jordano Ducali Gymnaſiarca; quae typis data eſt Auguſtae Taurinorum, Anno MDCXXVII. Hic loci adnotare juvat, Caſalenſem Urbem tunc percelebrem reddi, ex Litterarum non tantum publicis ludis, quantum etiam ex eruditiſſimis Profeſſoribus, qui Scientias, ac Artes ſtudioſiſſimam Montisferrati juventutem edocerent. Conſpicuum quoque erat Collegium nobilium Adoleſcentum: quod Collegium jampridem (ut innuimus) ab Auguſtinianis Congregationis Lombardiae directum; ab his deinde reſignatum eſt Clericis Regularibus Congregationis Somaſchae, ſub Anno MDC XX. Extat etiam ad praeſens tempus, ſed non ita floret, ut antea. Defuncto Ferdinando, Carolus Dux Nivernenſis e Gallia profectus, Mantuam pervenit, iniitque horum Statuum poſſeſſionem ſub Anno MDCXXVIII. die XVII. menſis Januarii: a cujus Principis ſtipite progenies exorta eſt Ducum ſubſequentium Gonzagarum, uſque ad Carolum Ferdinandum, Mantuae, ac Montiferrati Ducem poſtremum.

DE

DE HIERONYMO FRANCISCO MIROLIO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo ſeptimo.

Diſſertatio XXIII.

MIroliae ſtirpis antiquam rationem uſque ab Anno DCCCCVIII. derivatam Fulgentius Alghiſius oſtendit. Etenim Bartholomaeus Mirolius Caroli Magni Galliarum Regis Dux ſtrenuus, qui cum Longobardis non raro conflixit, Villaemiroliae Caſtellum conſtrui fecit. Deinde a Maximiliano II. Auſtriaco Imperatore Monceſtini Comitatu Miroliae gentes inſignitae ſunt: qua de re Comites appellati Joan. Vincentius, Federicus, Bartholomaeus, Hector, & Jacobus de Miroliis: quorum Federicus, & Bartholomaeus Ferrariam demigrarunt, ibique Familiam de ipſorum agnatione conſtituerunt. De hoc Federico in Ferrarienſi Urbe monumentum extat ad ejus ſepulcrum, nempe ſequens Inſcriptio.

Federico Mirolio
Monceſtini Comiti,
Roſingae, & Villaemiroliae
in Monferratenſi ora Domino,
Sereniſſimae Duciſſae Ferrarienſis
Aulae Praefecto;
ſumma generis nobilitate,
Vitae integritate, eximia Fide,

aliiſque Animi dotibus conſpicuo;
ob quas Sereniſſimo Duci Alphonſo
uſque ad obitum, poſt indefeſſum, &
diuturnum, tam ipſius, quam
Bartholomaei Fratris
utriuſque Signaturae Conſiliarii
obſequium eidem, & Sereniſs. Herculi
ejus Genitori praeſtitum,
Longe acceptiſſimus fuit;
Uxor, & Alphonſus filius
B. M. P. C. Anno MDXCIV.

Itaque ex hac inclyta progenie Hieronymus Franciſcus Mirolius (ex iis nempe Miroliis Monceſtini Comitibus, qui Caſali ſuperſederunt) ortus, poſtquam aliquot annos Caſalenſis Eccleſia Antiſtite privata fuerit, in Epiſcopum eligitur, ac deſignatur. Enimvero Carolus Mantuae Dux, ut Caſalenſes in Agnelli amantiſſimi Praeſulis amiſſione ſolaretur, ex eorum Civibus Mirolium Caſalenſem tenere ſedem adamavit. Quapropter Romam miſſo legato Abbate Nerlio, Comitem Hieronymum Mirolium Caſalis Epiſcopum Anno MDCLV. nominat. Is Cathedralis Eccleſiae Praepoſitus erat, & Agnelli Praeſulis defuncti Generalis Vicarius. Romam ergo profectus, petitionibus eidem factis de ſacris Canonibus ita reſpondit, ut ſinguli ſumma ſe doctrina praeditum cognoſcerent: quinimmo & ipſe Pontifex Maximus Alexander VII. Ghiſius de nonnullis ad jus Eccleſiaſticum ſpectantibus interrogavit, ac eumdem ſingu-

ſingulari dignum commendatione cenſuit. Hinc a Pontifice in graviſſima rerum Cauſſa, nimirum de Maſſerani Principatu, Commiſſarius Apoſtolicus deſignatur. Ut autem paullisper de more digrediamur; ſub Anno MDCLVI. Caſale ingreditur Svecorum Regina Christina. Ad Montisferrati fines Dux Mantuae Carolus obviam illi miſit Carolum Centurionem nobilem Genuenſem, & Sacri Romani Imperii Principem, tum Comites Hieronymum Scarampum a Camino, ac Joannem Baptiſtam Arditium patritios Caſalenſes. Poſteaquam piiſſima Princeps (quae Romam petebat, ut Catholicam Religionem profiteretur) ad Padi ripam pervenerit, Dux ipſe cum Aulicis ſuis, & Nobilibus illuc ſe contulit, & cum ea in Urbem Caſalenſem ingreſſus eſt. Anno MDCLX. ſpectatiſſimus Praeſul Mirolius primum admovit lapidem Eccleſiae fabricandae extra muros pro Fratribus Franciſcanis de ſtrictiore Obſervantia nuncupatis, quorum Aedes Sacra ſub titulo Sanctae Mariae de Templo conſtructa eſt. Quum inde religioſiſſimis aeque, ac pauperrimis Viris Caſalis hoſpitium neceſſe eſſet; Mariae Mantuae, ac Montisferrati Duciſſa Hoſpitium congruens Fratribus iiſdem elargita eſt, itemque a pietate Marchionis Bonifacii Faſſati Equitis ordinis Redemptoris, Eccleſia ipſis Mendicantibus Religioſis excitata. Praeterea ſub Anno MDCLXI. Divae Catharinae Moniales novam exterioris Eccleſiae fabricam incohant, ac ſub eodem Anno Divi Antonii Patavini Confratres in Conventualium Franciſcanorum Templo

con-

congregantur; qui ſub Anno MDCLXV. die XVI. Octobris, Romae Confratribus adijciuntur. Hoc eodem Anno Carolus II. Dux Mantuae, ac Montisferrati moritur; hinc Anno ſubſequenti MDCLXVI. Exequiae celebrantur Caſali, Oratioque funebris habita eſt a Comite Philippo Brondolo. Carolo ſucceſſit Ferdinandus ejuſdem Filius ſub Archiduciſſae Iſabellae tutela. Hic vero Princeps Ferdinandus Carolus ex Gonzagis ultimus eſt, qui in his Provinciis dominati ſunt; Enimvero poſt ejus obitum Mantuana Ditio Imperiali Camerae devoluta eſt, ac Monsferratus a Sabaudis Principibus jure nunc poſſidetur. Anno autem MDCLXIX. a Clemente IX. inter Beatos Caelites relata eſt Margarita a Sabaudia, Theodori Paleologi Montisferrati Marchionis uxor, uſque ab Anno MCDLXIV. Haec poſt Conjugis obitum, Dominicano habitu induta, in Monaſterium Sanctae Mariae Magdalenae Albae Pompejae claudi voluit: ibique ejus corpus hactenus incorruptum videtur. Anno MDCLXX. Magnifica Fratrum Minorum Conventualium Eccleſia exornatur, & inſignis Chorus extruitur. Hoc eodem Anno Presbiteri Philippini Sacram eorum Aedem prope antiquum Oratorium excitare contendunt. Anno MDCLXXV. poſt Joannis Ambroſii Becuti, Epiſcopi Aquenſis obitum, in Paſtorali Sede locatur Marchio Carolus Antonius Gozanus nobilis Caſalenſis. Jamvero ad Annum MDCLXXIX. perventum erat, quum digniſſimus Praeſul Mirolius ad Caeleſtem Patriam ab hac labili vita evocatus eſt: Antiſtes optimus,

affa-

affabilis, ingenuus, aequus, atque beneficus: cujus eximiae Beneficentiae luculentum ſane argumentum eſſe poteſt Inſtauratio, ac Dedicatio Eccleſiae Paroecialis Sancti Stephani Caſalis. Sanctiſſimi Sacramenti Confratres, ut eorum grati Animi ſpecimen debitum praeberent, ſupra interiorem Aedis portam, Epiſcopi Mirolii perenni memoriae lapidem poſuerunt cum Inſcriptione ſequenti.

Siſte gradum,

Templum hoc Sanctiſs. Protomartyri Stephano erectum contemplaturus! Hic non molis altitudinem, nec mirere praeſtantiam. At Illuſtriſs., & Reverendiſs. Hieronymi Franciſci Mirolii Caſalen. Antiſtitis, & Comitis, in Delubri hujus ab aetate paene abſumpti, nunc inſtaurati, largitatem, aſſiduam caritatem, profuſam liberalitatem inſignes agnoſce Architectrices; Etſi muta, tamen de hoc ſaxa loquuntur, Arcus non tam moli complendae, quam hujus gloriae monumento erecti, in Templo ſurrexere. Ut aeternum gratitudinis debitum tantae virtuti ſervetur ſpecimen, Eccleſiae hujus Confratres benemeriti, hoc futurae Aetati monumentum poſuerunt.

Eccleſia haec conſecrata eſt Anno MDCLXI. Id. Nov. At vero Apopleſia correptus Mirolius moritur Anno MDCLXXIX. die XIV. Septembris, quum Epiſcopalem Caſalenſem Sedem tenuerit tres, ac viginti Annos. Inſigni pompa funebri elatum eſt ejus corpus, & illius debitas laudes parentali Oratione expoſuit Joannes Jacobus Letus Vir eruditus, & Cathedralis Eccleſiae

Sancti

Sancti Evaſii Canonicus. Praeterea Comes Carolus Mirolius elegantiſſimum eidem Praeſuli Epitaphium, ac Elogium confecit, quod eſt hujuſmodi.

Hieronymo Franciſco
Caſalenſi Epiſcopo,
Miroliae ſtirpis ſplendori
Diaeceſis ſpeculo,
Infularum ornamento,
Egenorum Patri,
Eccleſiaſticae Libertatis Propugnatori,
Scientia ſingulari, Virtute eximio,
Pietate ſummo, Modeſtia maximo,
juſto, felici, magnanimo,
Deo devincto, Principibus grato,
Urbi accepto;
Monceſtini Comites
Villaemirolii, ac Roſingi Domini
ipſorum Uni amantiſſimo,
Tantoque Viro peculiarem lapidem
D. D. D.
Aetat. LXXV. Epiſcopat. XXIII.
Anno Salut. MDCLXXIX. Cal. Octobr.

Vivente Mirolio Antiſtite, Epiſcopalis Curiae Locumtenentem Franciſcum Surdum, Baſilicae Sancti Evaſii Praepoſitum fuiſſe conſtat. Habita quoque eſt a Praeſule Mirolio Synodus Diaeceſana, quae a nonnullis citatur; Auctoritas enim Decretorum adhuc viget, quae praeſertim in Calendariis vim habere quandoque videtur.

tur. Tertia haec eſt Synodus Caſalenſium Epiſcoporum nam prima Antiſtitis Aldegatti: altera Tullii Carretti: tertia Mirolii. Ad normam vero Provincialium Conciliorum Mediolanenſium confectae ſunt Caſalenſes Synodi. Siquidem Metropolitani conſtitutionibus ſuffraganei Epiſcopi Caſalenſes antea ſe ſubſcripſerunt, ut conſtat de Praeſule Alexandro Andreaſio in ſexta Synodo provinciali Mediolanenſi ſub Anno MDLXXXII., ac de Tullio Carretto in Synodo Mediolanenſi ſeptimâ, ab Archiepiſcopo Federico Borrhomaeo celebrata, ſub Anno MDCIX.

DE LAELIO ARDIZZONIO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo octavo

Diſſertatio XXIV.

DEfuncto Praeſule Mirolio, Baſilicae Sancti Evaſii Canonici congregantur, & in Vicarium Capitularem Joannem Stephanum Suardum Cathedralis Eccleſiae Praepoſitum eligunt. At vero ſubſequenti Anno MDCLXXX., menſe Majo, Laelius Comes Ardizzonius Caſalenſis, Epiſcopus deſignatur. Is jurium peritiſſimus jampridem Ducalis Miniſter, & Conſiliarius fuit: quo in munere egregiam ſane operam navavit

omnibus gratus, & acceptus. Ardizzoniae ſtirpis origo Placentiae cenſetur. Etenim hiſtorica ferunt monumenta, Caeſarem Ardizzonium nobilem Placentinum (de qua praeſtanti familia Petrus Creſcentius non vulgarem inſtituit commendationem) in Montisferrati provinciam ſe contuliſſe; poſtmodum vero ad hanc Caſalenſem Urbem demigraſſe, & hìc Domum, & liberos ſtabiliviſſe. Caeſar iſte Ardizzonius Anno MCDXCV. Dux militum a Carolo VIII. Galliarum, ac Siciliae Rege cooptatur. Ardizzoniae gentes primo Verolengi Pagi, deinde Sancti Martini Comites appellati ſunt. Ex his Viri, vel ſaeculo elapſo, ac ineunte praeſenti tam armis, quam togis clariſſimi extiterunt; quorum adhuc (Marchionis praeſertim Ardizzonii in regali Taurinenſi Senatu primi Praeſidis jam ſedentis) memoria viget. At Laelius Praeſul Eccleſiaſticum habitum, & Inſtitutum exinde profeſſus, Sanctae Mariae de Platea Praepoſitura inſignitur: qua reſignata, Ducalis Camerae Auditor in Montisferrati ditione efficitur. Poſtquam Epiſcopali dignitate donatus eſt, ad diem XXI. Menſis Junii Caſale ingreditur, communi ſuorum Civium, laetitia, & plauſu. Poetica enim multa in meritam ejus laudem concinnata ſunt: inter quae Comitis Caroli Mirolij perelegans Elogium adnotari placet: quod eſt hujuſmodi.

Deo praeſtare operam, & Mundo
Impoſſibile ſemper non dicam.
Obſequium in Principem,

Amor in Patriam
Geminarunt portentum.
Poſſibile hoc reddidit Ardizzonius:
Caeleſtium Geminorum aemulatus
Vires,
Geminas Virtutes collegit in unum.
Cum Magdalena fervens,
Cum Marta ſollicitus:
Geminas Opes poſſidens,
Geminatum auxilium cuique
pollicetur.

Interim Anno MDCLXXXV. Funeralia in Divi Evaſii Templo Caſali celebrantur in Obitu Archiduciſſae Iſabellae Clarae Auſtriacae Ducis Mantuae, ac Montisferrati,Ferdinandi Caroli matris. Solemne Sacrum confecit Praeſul Ardizzonius (cujus univerſam pro luctu nigra veſte familiam induere juſſit), adſiſtente Civitatis Praeſide, Senatu, & Clero; funebriſque Oratio a Marchione Joanne Antonio Luzzara patritio Mantuano habitaeſt. Porro Ardizzonii Antiſtitis tempore, inteſtina Bella in hac Montisferrati regione haudquaquam ceſſarunt, uſquedum a fundamentis, cuniculorum ope diruta, Italarum firmiſſima Caſalenſis eſt Arx ſub Anno MDCXCV. Progrediente autem ad ſuum terminum ſaeculo Decimo ſeptimo a Divini Verbi Incarnatione, Epiſcopus Ardizzonius mortales exuvias reliquit, & hanc terrenam manſionem cum Caeleſti Patria (ſic enim pie credere fas eſt) commu-

tavit. Sub initio ſpiritalis regiminis, quod Ardizzonius ſuſceperat, finem facit Montisferrati Hiſtoria ſollertiſſimi Fulgentii Alghiſii Caſalenſis Auguſtiniani: cujus MS. libri magni quidem faciendi Eruditis videntur.

DE PETRO SECUNDO RADICATO

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo nono

Diſſertatio XXV.

ARdizzonio Praeſuli jam deſcripto ſucceſſit Anno MDCCI. Petrus Secundus Radicatus Caſalenſis, Coconati, & Cellarum Comes. Is antea Ferdinandi Caroli Gonzagae Mantuae, ac Montisferrati Ducis poſtremi, intimus Conſiliarius, ejuſdemque a Secretis fuit: Vir non mediocri ſane ingenio praeditus, ac ſtirpis nobilitate clarus. Extat Oratio typis data Cornelii de Corneliis Caſalenſis, Congregationis Oratorii presbiteri, in qua diſerte praeter proprias Radicati Antiſtitis laudes, Coconatae gentis quoque ſeries exponitur: duo nempe afferuntur antiqui Epiſcopi Aſtenſes, Placentiae Praeſul, & Eminentiſſimus Romani Collegii Purpuratus, aliique Viri, dignitate, doctrina, & nomine conſpicui. De Aſtae Urbis Epiſcopis ita Ughellus. *Bonifacius II. patritius Aſtenſis ex Comitibus*

de

de Coconato exortus, ex Praepoſito electus Epiſcopus Anno MCCXLIII. Conradus ex Comitibus de Coconato Aſtenſis Civis, & Canonicus Bonifacio gentili ſuo ſufficitur Anno MCCLX. De Coconato Cardinali praeter Alghiſium etiam Ughellus haec reponit. *Urbanus IV. ſummus Pontifex egregias Animi dotes in Umberto Alerami Aſtenſis ex Comitibus de Coconato, & Montisalti de Arteſio Domini filio, hujus Eccleſiae Archidiacono admiratus, eum inter Cardinales Diaconum Sancti Euſtachii cooptavit Anno MCCLXI.* Ciacconus hunc Umbertum Purpuratum ex Comitibus de Ilcio, Senis in Etruria ortum dicit; ſed revera Aſtenſis patritius fuit; quod etiam innuit Theodorus Vallis (ut refert Ughellus) oculatus teſtis in vita Urbani IV. Etenim dum Cardinales ab eodem Pontifice Romano creatos recenſet, Coconatum natione Lombardum fuiſſe hiſce verſibus affirmavit.

Hi tres Levitae, Gotifredus, jacobuſque,
Tertius Umbertus, clarus uterque fuit.
Aletum primum genuit, Sabella ſecundum:
Alter Lombardus, nomine, ſtirpe potens.

Itaque Praeſul Radicatus (cujus familia, ab Aſta Urbe Caſale jamdudum emigravit) Romae degens, a Clemente XI. Summo Pontifice Praelatus domeſticus, & Solio Pontificio adſiſtens Epiſcopus cooptatus eſt, Anno MDCCVIII. Caſalenſem porro Urbem ingreſſus de ſe optimam expectationem dedit. Quo autem tempore hanc Sedem tenuit, plures Epiſcopalis Curiae Generales Vicarios habuit, identidem ad munus electos; quo-

rum

rum primus Vir Illuſtriſſimus, ac piiſſimus Hieronymus Franciſcus Malpaſſutus Montilius, utriuſque Juris, & Sacrae Theologiae Doctor, Evaſianae Baſilicae jampridem Canonicus Theologus: Sede Epiſcopali vacante ob Ardizzonii Praeſulis mortem Capitularis Vicarius enunciatus; mox Generalis Locumtenens Epiſcopi Radicati decernitur: quo munere per aliquod tempus egregie functus, ſe ab illo abdicavit; hinc Cathedralis Caſalenſis Eccleſiae Praepoſitura condecoratur, ac demum a Magnanimo Victorio Amedeo Rege, Vercellarum Epiſcopus deſignatur; quam antiquiſſimam Inſubriae, & Liguriae Sedem vix decem menſes occupavit, quum ultimo cedere fato coactus ſit proximis Annis elapſis. De hoc ampliſſimo, ac digniſſimo Praeſule plura quidem in ejus meritas laudes reponerem, ſi hoc mei eſſet Inſtituti; verum aeterna monumenta extabunt; quae de ipſo jugiter eloquentur. Nec minus item elogium commeruit piiſſimus Senex Carolus Antonius Gozanus nobilis etiam Caſalenſis, qui poſtquam ſex, & quadraginta annos Aquenſem Eccleſiam adminiſtraſſet; Anno MDCCXXI. mortem obivit: Antea is erat Cathedralis Eccleſiae Divi Evaſii Archidiaconus. Interea quum Coconatus Antiſtes ſeptem ſupra viginti annos Caſalenſem Diaeceſim rexiſſet, ea reſignata, a Benedicto XIII. Summo Pontifice Auximi in Piceno Epiſcopus creatur, ibique Anno MDCCXXIX. moritur. Extant Caſali de hoc Praeſule memoriae, tum in Epiſcopalium Aedium, tum in Collegii Seminarii inſtauratione.

tione. Etenim ſupra interiorem Epiſcopatus ingreſſum haec legitur Inſcriptio.

Petrus Secundus Radicatus
Ex Comitibus Coconati,
& Cellarum,
Epiſcopus Caſalenſis,
Domini noſtri Clementis Papae XI.
Prelatus domeſticus,
& Solio Pontificio
Epiſcopus aſſiſtens,
reſtauravit, ampliavit,
ac ferme ex toto in hanc formam
redegit, ornavitque
Anno MDCCXIX.

Et ſupra externam Seminarii Clericorum januam haec altera Inſcriptio conſpicitur.

Seminarium Epiſcopale,
pro univerſo Diaecesis ſuae Clero,
Litterariis, & Eccleſiaſticis
Diſciplinis,
tum Exercitiis ſpiritualibus
excolendo;
veteri aedificio jam collabente
Paene ex toto inſtaurato,
Addito inſuper complurium vicinarum
Aedium ſpatio;
In ampliorem hanc, atq; ornatiorem
Formam redegit

Pe-

Petrus Secundus de Coconato Epiſcopus Anno Domini MDCCXXII.

Ultimis etiam hujus Praeſulis temporibus inſignis Philippinorum Eccleſia inſtaurata, aucta, atque abſoluta eſt, quinimmo dicata, & conſecrata; tum vero exterior Sacra Aedes Monialium, quae Sanctae Catharinae vulgo dicuntur, in venuſtiorem formam, ac ordinem diſtribuitur, & Eccleſia ipſa egregie depicta, ab eodem Antiſtite ſacris ceremoniis luſtratur. Ut autem Diſſertationem hanc noſtram magis locupletem (his maxime temporibus, quae nobis proximiora fuere) conſueta Digreſſione reddamus; legenti fortaſſe moleſtum non erit, ea, quae obſervatione digna putamus, breviter recenſere. Carolo itaque Ferdinando, ultimo Mantuae Duce, Patavii defuncto; ecce ingentes militum exterorum copiae in Italiam ingrediuntur, ac inferuntur. Tandem Anno MDCCVI. die VII. Septembris, Gallohispanorum obsidione, Taurinorum Auguſta jamdiu, sed perperam oppugnata ſolvitur, omni militari Hoſtium apparatu in Vallis relicto, quum Obſidentes numero quidem majores, ſed viribus, & animo impares, a Victorii Amedei Ducis, & Eugenii Sabaudiae Principis prudentiſſimo imperio, ſtrenuique praeſertim Analthi Principis virtute, ac ſuorum commilitonum robore, conſternati Galli ſe fugae demum commiſerunt: hinc Montisferrati provincia externis item copiis vacua, & Caſalenſis Urbs perniciosa bellorum vi liberata. Poſtmodum his Civibus expetitum

lumen

lumen affulſit, quum intra eorum moenia invictiſſimum Victorium praelaudatum viderint, quem ſuum amantiſſimum naturalem Principem, ac Dominum venerati, laetabundi recognoverunt. Deinde Anno MDCCXIIII. die XXX. menſis Julii, Pax deſiderata Taurini proclamatur: quae res in cauſſa fuit, cur ſubditi fideles Populi (Taurinenſes praecipue, & Caſalenſes) non vulgarem eximii gaudii ſignificationem darent. Igitur non incongruum erit, hic loci etiam reponere de hoc faſto Die Inſcriptionem, a diſertiſſimo Viro Audiberto, Societatis Jeſu alumno, exaratam; quae ad Baſilicae Taurinenſis ingreſſum ſic habebatur.

Regnorum arbitro Regum Regi,
Quod Bellum
Ultra fidem ſtrenue geſtum
Pacem attulit;
Ultra ſpemklorioſe confectum,
Stante Urbe, florente Aula.
Prolato avito Regno, altero parto,
Victor Amedeus II.,
quo in Templo
Hoſtium vexilla appenderat,
Patrocinii Inſignia, non Triumphi,
Recentioris incrementa Felicitatis,
Precum beneficia, non Armorum;
Inter tributa Gratiarum ſolemnia
publice devovebat Anno MDCCXIII.

Ex hac autem rata, firmaque Principum concordia;

magnanimus Amedeus maximum Italorum Principum decus, non tantum in Provinciarum utriuſque ſuperioris, & inferioris Montisferrati, Lomellinae, Alexandriae, & Vallis Seſiae dominio adjecto confirmatur; verumetiam Rex Siciliae poſtmodum ſacro Chryſmate ungitur, & conſalutatur: Sardorum denique potitus Inſula, Sardiniae Rex ab Europae Monarchis, & ab ipſo Romano Summo Pontifice habetur. Qua de re Eccleſiaſticus quoque Honor in Sabaudia, Pedementio, Monteferrato denuo effloruit: Archiepiſcopus Taurinenſi Urbi datur, Epiſcopi ad Vercellarum Caſalis, Alexandriae, Aquarum, Eporediae, ac Foſſani ſedes evehuntur: Archiepiſcopi in Sardiniae Regno, Gallaritanus, Saſſaritanus, & Algherenſis nominantur, & conſecrantur. Quocirca de ſuo inclyto Rege vehementer laetata eſt in primis Taurinenſis Civitas, quae mirifico, atque indicibili praegeſtiens gaudio, ſupra januam Eccleſiae Corporis Chriſti (quae eſt ſacra ipſius Civitatis Aedes) hoc locavit Elogium, & Monumentum.

Pro novo Regno aliis adjecto,
Victorio Amedeo
Rege proclamato,
Grates
Regi Regum
Auguſta Taurinorum
Referebat
Die XXV. Septemb. An. MDCCXIII.

Ita-

Itaque jure, atque armis partum jam Regnum, auctum, ac tutum, Litteris etiam, ingenuiſque Artibus illuſtrius effici Amedeus Rex voluit. Quapropter accerſitis undique doctiſſimis Viris, Jureperitis, Dogmaticis, Theologis, Philoſophis, Medicis, Anatomicis, Mathematicis, Aſtronomis, Geometris, Chirurgis, Polemicis, Botanicis, Architectis, Linguarumque Haebraicae, Graecae, ac Latinae eruditiſſimis, Taurinenſe Lyceum ſub Anno MDCCXX. inſtauravit, & auxit: ex quo praeclariſſima Guzmani Ordinis lumina praeſertim emicant; publici ante Sacrae Theologiae; & Controverſiarum Profeſſores, Vincentius Ferrerius Nicienſis, Epiſcopus Alexandrinus, deinde Vercellenſis, & Anno MDCCXXIX. a Benedicto XIII. Summo Pontifice, Sardiniae Regis nomine, Cardinalis Sanctae Romanae Eccleſiae creatus: tum Petrus Hieronymus Caravadoſſus item Nicienſis, Caſalis Antiſtes digniſſimus. Regiae inſuper Conſtitutiones emanatae ſunt, quae novum Codicem Victorianum comprehendunt. Sed inter hujus Mundi gaudia fatalis mors luctum, ac moerorem interponere jam ſaepe conſuevit. Quare Anno MDCCXXI. nobiliſſima Conjuge Anna Chriſtina Aloyſia, Theodori Sultzbachii Palatini filia, Regalis Pedemontii Princeps Carolus Emmanuel, unicus Regis Amedei filius amantiſſimus, privatum ſe vidit. Anno inſuper MDCCXXII., octogeſimo exacto ſuae Aetatis Anno, ad Coelites evolavit Regalis Princeps Maria Joanna Baptiſta a Sabaudia, Victorii Amedei Regis

 dulciſ-

dulciſſima Parens: cujus inclytas eloquentiſſime retexuit laudes funebri Oratione, in Taurinenſi Baſilica, die XXIIII. Maii, anno MDCCXXIV. Joſeph Ignatius Chiaberge Societatis JESU. Subſequenti autem anno MDCCXXV. Victorius Rex ſemper Auguſtus regali Sabaudae ſucceſſioni animum intendens, alteram aeque nobiliſſimam Conjugem Carolo Emmanueli filio Principi optimo dedit; nimirum Chriſtinam ex Haſſiae Resfeldi Rotemburgi Principibus ortam: e qua duo nati mares, treſque item faeminae, ad totius Italiae felicitatem adhuc ſuſcepti ſunt. At vero inter haec etiam gaudia luctus locum occupavit; ſiquidem Annae Aurelianenſis, Sardiniae Regis dilectiſſimae Conjugis Mors ſecuta eſt; de qua in ſequenti ultima Diſſertatione noſtra, verba quamvis tantae Reginae imparia, faciemus.

DE PETRO HIERONYMO CARAVADOSSO NICIENSI,

Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Vigeſimo

Diſſertatio XXVI.

AUguſtiſſimus praelaudatus Amedeus I. Sardiniae Rex, cui mentem ſumme providam in hominum meritis potiſſimum cognoſcendis Divinus rerum Opifex

elargitus eſt, Petrum Hieronymum Cara vadoſſum Nicienſem, Anno MDCCXXVIII. Epiſcopum Caſalenſem nominavit. Hic Vir ſpectatiſſimus Dominicani Ordinis inſignis Theologus, ob ejus egregiam Virtutem, ſingularemque Doctrinam, morumque ſuavitatem, octo, & decem annos, a celeberrima Studiorum Matre Bononia retentus eſt, ubi in ſtudiis ita profecit, ac tradendis Philoſophicis, Theologiciſque Diſciplinis ita praeſtitit, ut meritos gradus acquireret ſuae Religionis. Poſtmodum ejus nominis fama ad inclyti Regis Victorii perlata in cauſſa fuit, cur Taurinum accerſitus, Scholaſticae Theologiae, & Controverſiarum Cathedram in Regio Archigymnaſio, omnium quidem commendatione adimpleret. Jam vero dimidiam vix anni partem publice docendo abſolverat, quum Caſalis Epiſcopus ab ipſo Rege cooptatur; quare illico Romam profectus eſt. Hunc autem Benedictus XIII. Pontifex Maximus, & Guzmani Ordinis item alumnus, amice placideque amplexus (noverat enim jampridem Caravadoſſum, celebremque Theologum intelligebat) ac inde illis, quae fieri ſolent, electis Epiſcopis petitionibus adſiſtens, meritiſque laudibus eumdem exornans, per ſe ipſe in Epiſcopum conſecravit. Roma egreſſus noſter Praeſul Caſalenſem adivit Urbem, & ſuum ingreſſum inivit die XI. Julii, Anno MDCCXXVIII. Quattuor autem a Civitate decreti ſunt nobiles Viri, Marchio Anaſtaſius Buſca primae Claſſis Conſul, Joannes Baptiſta Porta, ſecundae; item Marchio Evaſius Octavianus Faſſatus primae

claſſis

claſſis Conſiliarius, & Paulus Antonius Honoratus ſecundae, qui optatiſſimo Praeſuli decora quidem pompa obviam iverunt. Interea, ut incredibilis laetitia de novo Antiſtite Caſalenſium omnium Civium oſtenderetur publicae prodierunt ſignificationes ex doctis profecto; diſertiſque, tum Poematibus latinis, ac etruſcis, tum vero pulcris Inſcriptionibus, inter quas elegantior in ſuburbano Tentorio ad primam Epiſcopi receptionem extructo, haec legebatur.

Fidiſſimam Urbem
Cuſtodiae, & Pietati tuae
commiſſam;
Deo volente, Rege mittente,
Laetitia Comite,
ad perennem Caſalenſium ſalutem;
Praeſul piiſſime, ingredere.

Altera quoque id genus conſpiciebatur.

Hac die, quam fecit Dominus,
Exultate Caſalenſes!
Petro Hieronymo Caravadoſſo,
Patri amantiſſimo,
Paſtori vigilantiſſimo,
Epiſcopo eruditiſſimo,
Obviam occurrite.
Virtutis prodigium, Religionis columen,
Pietatis exemplar, & juſtitiae
Admiramini!
Invictiſſimi Regis Victoris Amedei

cle-

clementia donato;
Sanctiſſimi Patris Benedicti XIII.
Summa pietate electo;
Plaudite, gratias agite.
Pacis, & Letitiae omen
Urbem ingrediens excipite.

Itaque poſt factam Praeſulis Radicati reſignationem, Sancti Evaſii Canonici in Capitularem Vicarium elegegerunt ampliſſimum Virum Octavianum Mauritium Paſquinum, Cathedralis Caſalenſis Canonicum Theologum. Deinde a novo Antiſtite Caravadoſſo Curiae Epiſcopalis Locumtenens cooptatus eſt Abbas Carolus Ubertus Malpaſſutus Montilius; qui nunc Praepoſiti Evaſianae Baſilicae dignitate condecoratur. Hujus autem clariſſimi Viri diſertiſſima extat latina Oratio ab ipſo habita, quae debitas Caravadoſſi Epiſcopi laudes comprehendit. Cunctis igitur gratus, jucundus, atque beneficus digniſſimus noſter Praeſul Petrus Hieronymus ſuae praedilectae Eccleſiae, & Caſalenſis Diaeceſis adminiſtrationem ex animo ſuſcepit; quae ſuaviſſime quidem ſe ab ipſo gubernari, regique perſentiunt. Anno MDCCXXIX., die XXIX. menſis Maii, decreta eſt ab ipſo Praeſule univerſa Caſalenſis Urbis, ac Diaeceſis ſpiritalis Viſitatio, quae Dominica tertia poſt Feſtum Sanctiſſimae Trinitatis Caſali inchoata eſt. Hoc etiam Anno Sanctae Mariae de Platea Canonicorum piis votis, atque optatis indulgens Caravadoſſus Praeſul humaniſſimus, ſuperindutam bicolorem veſtem, quae vulgo

Cappa magna vocatur, ex Apoſtolico indultu tribuit: Quapropter in ſolemni annua Supplicatione, quae ad Feſtum Corporis Chriſti diem habetur, novo indumento decore incedentes praedicti Canonici viſi ſunt: Anno autem proximo elapſo, quum fatalis amiſſio Auguſtiſſimae, ac piiſſimae Reginae Annae Aurelianenſis ſecuta eſſet; die XXVI. Auguſti, a Caſalenſi Civitate univerſim in luctu poſita, parentatum eſt in D. Antonii Abbatis Templo, funebriſque Oratio habita ab Illuſtriſſimo Viro Marchione Anaſtaſio Buſca, primo Civitatis Sindico, nobilium Virorum, ac Matronarum interventu. Caravadoſſus Antiſtes Taurini tunc aderat, Caſali evocatus, ut una cum aliis Epiſcopis, Abbatibus, atque ſaecularibus Magiſtratibus, Praeſidibus, Provinciarum, & Civitatum Oratoribus legatis, Exequiis Regiis adſiſteret: in quibus eloquentiſſima eſt habita funebris Oratio a celeberrimo Concionatore Carolo Franciſco Badia Anconitano, Novaleſiae Abbate Commendatario, qui meritiſſima laudum ornamenta de vera ſolidaque ejuſdem Reginae chriſtiana pietate concinnavit. Jam vero Caſali ſub Anni MDCCXXIX. termino, in antiqui Praetorii Aedibus juxta Urbis plateam, publica conſtituta ſunt Gymnaſia, Presbiteris ſaecularibus ad docendi munus accitis: id quod per omnes Sabaudiae, Pedemontii, ac Montisferrati Provincias providentiſſimi aeque, ac munificentiſſimi Regis auctoritate per Scholarum Conſtitutiones Typis editas ſancitum eſt. Qui Rex utique invictiſſimus, ſeipſum

etiam

etiam denique mirum in modum vicit. Etenim reſignato publice Regno, Carolo Emmanueli Pedemontii Principi ejus filio imperii habenas tradidit, ſeſeque in Sabaudiam cum exiguo Comitatu contulit; tandemque ob aëris ſalubritatem excipiendam Moncalerium venit, ibique ſolitariam vitam traxit, uſque dum a mundanis rebus omnino alienus, atque diſtractus, piiſſime obiit Anno MDCCXXXII. Florido itaque Regno Carolus Emmanuel I. ſuccedit, qui pacem, ſubditorumque populorum quietam tranquillitatem peramans, omnes quidem ſuae Lenitatis, innataeque Manſuetudinis, & Clementiae ſignificationes quotidie demonſtrat. Vireſcere prae ceteris bonas Litteras, ac Liberales Artes libenti animo REX OPTIMUS ſentit, atque cognoſcit; iccirco non pauci momenti pro ſtudioſorum Adoleſcentum victu, ac ſcientiarum adeptione, impenſas, ſplendide, ac liberaliter faciens, Gymnaſia inſtaurari, Collegia excitari jubet. Regalium deinde Praedeceſſorum decus, & gloriam, nominiſque immortalitatem egregie, ac ſtrenue aemulatus, ad Regni propugnationem, atque tutelam, Arces inſtaurat, novas inſuper, firmiſſimaſque molitur, Remque univerſam militarem exactiſſima Diſciplina in dies conſtituit, & robore auget. Jam vero ad ſuum terminum paſtorali Viſitatione per totam Caſalenſem Diaeceſim in montanis fere, ac praeruptis locis poſitam magno cum labore redacta, Zelantiſſimus Praeſul Caravadoſſus, Caſale ſe recepit, ibique indefeſſus Synodum Diaeceſanam pu-

blice habendam conſtituit. Accerſitis ergo iis omnibus, & ſingulis, qui ſeſſionibus in Cathedrali Eccleſia facti interesſe debebant, Spiritu Paracleto enixis precibus invocato, habitaque Paraenetica Oratione italica a Clariſſimo Viro Canonico Cantore Sacco, Synodus incepta eſt, perrecta, & abſoluta Anno MDCCXXXII., permagna Cleri, & Populorum omnium commendatione; quum, & vitiorum germina extirpata ſint, & undique virtus, concordia, religio, pietas, tum major etiam Dei, Caelitumque cultus, ac magis decens Sacrarum Aedium ornamentum in tota Diaeceſi nunc conſpiciatur. Illud autem omne ferventiſſimo Praeſulis Caravadoſſi Animarum zelo ſartum tectum omnino debetur. At vero hilari ſemper vultu, quo internum, atque ſincerum Animi gaudium oſtendit, mirifice exultat bonus Paſtor; & eo praeſertim, quo intelligit, ac idem ipſe videt, Caſalenſes Cives illis etiam Rebus, quae tum privatum, tum publicum Bonum in temporalibus, oeconomicis, & politicis reſpiciunt, egregiam ſane operam navare; itaut in hac praeclariſſima Urbe ſumma pax, perfectaque tranquillitas (in id bonis univerſim conſpirantibus) merito jure habeatur. Urbanis enim, ac municipalibus negotiis moderantur electi Viri, Conſules nempe, vulgo *Sindici*, ſingulos in annos deſignati; qui noſtris hiſce temporibus ex Regia Conceſſione purpurati publice, ac ſolemniter incedunt: quo quidem digno munere ſuperiore Anno functus eſt numeris omnibus Vir nobiliſſimus Marcus Antonius Griſella, Ro-

ſignani

ſignani Marchio; quem nuperrime Carolus Emmanuel I. Sardinae Rex ad Ludovicum XV. Galliarum Regem (inter quos maxima Virium, atque Animorum conſenſio ſecuta eſt) Legatum miſit. Sequenti autem anno MDCCXXXII. primae claſſis Sindicus ſortitur praeſtanti Vir mente Joan. Gozanus Odalengi Marchio; Civitatis item, & Annonae Proviſoribus delectis ampliſsimis Viris, Marchione Anaſtaſio Buſca Lazaroni Condomino, & Jacobo Antonio Graſſo Vontii Comite; quorum quidem nomina in Caſalenſibus monumentis, & faſtis potiſsimum recenſenda, non tantum ob eorum merita praeſentis operis Auctor exiſtimavit; verum etiam, ut propter eximia, quae idem apud illos ſuoſque lares, apud honeſtiſſimas Conjuges, & ingenuos Liberos Beneficia excepit, gratiſſimum utique animum aperte declararet. In hac itaque ſumme commendabili florentiſſimae Caſalenſis Urbis conditione Caravadoſſus Praeſul (iterum dico) vehementer laetatur: qui tandem cetera inter multarum, quibus exornatur, Virtutum ſpecimina; illud ſingulare profecto dedit. Enimvero quum adhuc ipſe vitali aura perfruens, probe ſit valens, vegetus, atque ore rubicundo refulgeat; de morte tamen pie cogitare intendit; quocirca in Eccleſia Monialium Ordinis Divi Dominici, quae vulgo Sanctae Catharinae dicuntur, pavimentum ad Majus Altare ex lectiſsimo bicolore marmore cooperiri, & laevigari aere proprio conſtituit, & ſepulcrum pro ſuo locando Cadavere haberi teſtamento diſpoſuit, atque mandavit: lapide inde ſuperpoſito

poſito cum ſequenti humili Inſcriptione, ab ipſomet piiſſimo Antiſtite concinnata.

Ut gratiam
apud Deum inveniat,
Fr. Petrus Hieronymus Caravadoſſi Ord. Praed.
Patritius Nicienſis,
Epiſcopus Caſalenſis, & Comes,
Ante Aram Deiparae Virginis
Gratiarum Matris,
Ejus patrocinio,
Atque Sororum ſuarum enixis precibus
plurimum confidens;
Sepulcrum, in quo poſt mortem quieſcat,
vivens poſuit
Anno MDCCXXXIV.

Denique, ut inſtituti noſtri Operis, Deo dante, terminus habeatur; in Te, Petre Hieronyme, Praeſulum decus, ſermo finietur; tibique perennem incolumitatem a Deo precamur, adeout ex Te uno ſoſpite cariſſimo Antiſtite, nobiliſſimorum Caſalenſium Civium, ornatiſsimique Cleri, ac totius Diaeceſis felicitas, & omnis fauſtitas derivetur.

FINIS.

DISSERTATIONUM,

QUAE IN HOC OPERE CONTINENTUR,

DISPOSITIO.

DE Montisferrati Provincia, & Caſalenſis Urbis tam antiqua, quam praeſenti conditione. Diſſert. I. Pag. 1.
De Chriſtianae Caſalenſium Fidei, ac Religionis initiis, & incrementis. Diſſert. II. Pag. 13.
De Baſilicae Sancti Evaſii erectione, ac in dies aucta Dignitate. Diſſert. III. Pag. 20.
De Caſalenſi Eccleſia, Epiſcopali ſede decorata. Diſſert. IV. Pag. 27.
De Sancti Evaſii Baſilicae antiquo, ac praeſenti Statu. Diſſert. V. pag. 42.
De Sancto Martyre Evaſio, Caſalenſis Civitatis Patrono. Diſſert. VI. Pag. 52.
De Bernardino Thebaldeſco Romano, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo primo. Diſſert VII. Pag. 59.
De Joanne Georgio Paleologo, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Secundo. Diſſert. VIII. Pag. 72.
De Bernardino Caſtellario, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Tertio. Diſſert. IX. Pag. 75.
De Hyppolito Mediceo Florentino, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Quarto. Diſſert. X. Pag. 81.
De Bernardino a Cruce Mediolanenſi, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Quinto. Diſſert. XI Pag. 85.
De Franzino Michelio Sipontino, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Sexto. Diſſert. XII. pag. 87.

De Sci-

De Scipione Atteſtino Ferrarienſi, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Septimo. Diſſert. XIII. pag. 89.
De Ambroſio Aldegatto Mantuano, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Octavo. Diſſert. XIV. pag. 95.
De Benedictò Herba Mantuano, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Nono. Diſſert. XV. pag. 97.
De Alexandro Andreaſio Mantuano, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo. Diſſert. XVI. pag. 103.
De Aurelio Zibramontio Mantuano, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Undecimo. Diſſert. XVII. pag. 106.
De Marco Antonio Gonzaga Mantuano, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Duodecimo. Diſſert. XVIII. pag. 109.
De Scipione Borſario Mantuano, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo tertio. Diſſert XIX. pag. 111.
De Tullio Carretto, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo quarto. Diſſert. XX. pag. 113.
De Scipione Paſchalio Conſentino, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo quinto. Diſſert. XXI. pag 123.
De Scipione Agnello Mantuano, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo ſexto. Diſſert. XXII. pag. 128.
De Hieronymo Franciſco Mirolio, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo ſeptimo. Diſſert. XXIII pag. 135.
De Laelio Ardizzonio, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo octavo. Diſſert. XXIV. pag. 141.
De Petro Secundo Radicato, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Decimo nono. Diſſert. XXV. pag. 144.
De Petro Hieronymo Caravadoſſo Nicienſi, Caſalenſis Eccleſiae Epiſcopo Vigeſimo. Diſſert. XXVI. pag. 152.

Operis Approbatio

IMPRIMATVR. Vic. Gen. S. Officii Taurini.

V. Colombardi, Sacrae Facultatis Theologiae Praeſes, & Magiſter.

V. Abbas Bencini Artium Praeſes, & Mag.

TYPOGRAPHICA EDITIO PERMITTITVR.

Balbis Simeon de Rivera pro Excellentiſs. D. Marchione de Zoppi Magno Cancellario.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 102171094